






DE
ORATORIIS DOMESTICIS
DISSERTATIO.







DE ORATORIIS DOMESTICIS *DISSERTATIO.*



ADMOD. REV. PATRIS

FORTUNATI A BRIXIA

ORD. MINORUM S. FRANCISCI
REF. PROV. BRIXIÆ

DE

ORATORIIS DOMESTICIS


DISSERTATIO.

OPUS POSTHUMUM.



BRIXIÆ
Excudebat Joannes-Maria Rizzardi.
MDCCLVII.
SUPERIORUM PERMISSU.





JOANNES-MARIA RIZZARDI

LECTORI.

VIx *dum fidem dedi vulgandi meis typis nonnulla Opuscula Cl. P.* FORTUNATI A BRIXIA, *cum ista statim me libero. Ejus generis est Dissertatio, quam tibi sisto, Lector Benevole, cujus meminerunt Ephemerides Literariæ, quæ singulis mensibus prodeunt Venetiis* (a). *Huic Provinciæ manum admoverat Auctor noster Celeberrimus, votis adstrictus Emi* CARDIN. QUIRINI *tunc Brixiæ Episcopi. Vir sapientissimus, & de universa Literaria Republica optime meritus, P.* FORTU-

(a) Memorie per servire all'Istoria Letteraria Tom. IV. Part. II. Art. VII. pag. 46.

NATI, *qui in ipsa magnum nomen jure meritoque adeptus erat, judicium de* Privatis Oratoriis *postulavit, & habuit. Hic finis fuit præsentis Dissertationis conscribendæ, & inde non exigua in ipsam, ejusque Auctorem commendatio. Cæterum lubentissimo animo hoc Opusculum typis meis tradidi, & ut tuæ consulerem utilitati, & ut memoriæ Celeberrimi Viri, quocum summa mihi semper fuit amoris, & necessitudinis conjunctio, inservirem; Sperans fore, ut, quemadmodum cætera ipsius Opera demonstrant, in Mathematicis rebus, in Physicis, & in Theologicis Dogmatibus eum fuisse apprime versatum, ita ex hac Dissertatione perspectum tibi fieret, Juris Canonici scientiam ipsum eximie etiam coluisse. Favore tuo conatus nostros, & nostram diligentiam prosequere, ut in dies alia, quæ ad tuum commodum conducere possint, pergam evulgare.*

IN-

INDEX

RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hac Dissertatione continentur.

C

De-

D

E

Fami-

F

G

Ho-

H

I

L

M

N

tici-

O

P

Q

S



FINIS.

DE

DE ORATORIIS DOMESTICIS DISSERTATIO.



CAPUT PRIMUM.

Quale debeat esse Oratorium Domesticum, ut sanctum Missæ Sacrificium licite in illo celebrari possit.

PRæmittendum est, certoque tenendum cum Pasqualigo, aliisque pluribus, quos ipse citat (*a*) privilegium celebrandi Missam in Oratoriis domesticis esse contra jus commune; & ideo utpote odiosum, stricte esse interpretandum. Quod sit contra jus commune, adeoque odiosum, manifeste colligitur ex epistola Felicis Papæ IV. relata in Decreto cap. *Tabernaculum de Consecrat.* distin. 1. Refert enim Pontifex, statutum fuisse in Concilio Laodicensi, ne Sacrificium in privatis Oratoriis offeratur. *Quod autem*, inquit, *ut paulo supe-*

(*a*). Tom. I. *de Sacrif. Missæ* q. 617.

rius probatum est, oblationes in domibus offerri non debeant in eodem Concilio (Laodicensi) cap. 59. *prohibitum habetur ita. Non oportet in domibus Oblationes celebrari ab Episcopis, aut Presbyteris.* Habemus quoque in eadem distin. cap. *Unicuique, quod in domo sua Oratorium licet habere, & ibi orare; Missas autem ibi celebrare non licet.* Hoc itaque privilegium, quo scilicet missam in privatis domibus celebrari, conceditur, odiosum est; & ideo, quemadmodum ajunt Doctores, stricte interpretandum. Non inficior tamen cum Pasqualigo laudato extendi illud posse, quantum extenditur propria verborum significatio; etenim ut ille docet, *cum privilegia adaequent mentem concedentis (quia tantum intelligitur concessum, quantum voluit concedere) dum concessio non extenditur, ultra propriam verborum significationem non extenditur, ultra mentem concedentis; quia praesumitur, ideo talibus verbis usum fuisse, ut ipsis suam concessionem coadaequaret* (a). Hoc ergo posito.

RE-

(a) Loco citato n. 6.

RESOLUTIO.

Ut in privato, sive domestico Oratorio Missa celebrari licite possit, necessario requiritur: I. Ut Oratorii locus sit ab omnibus domesticis usibus liber. II. Ut sit separatus a tridiniis, iisque cubiculis, in quibus familia habitat, aut frequentius versatur. III. Ut habeat formam parvæ Ecclesiæ. IV. Ne sit ita angustus, ut qui Missam, quæ in eo celebratur, audituri sunt extra illum stare cogantur, ibique sacro interesse, ubi profana exercentur. V. Ut sit decenter ornatus.

I.

Necesse est primo, *ut Oratorii locus sit ab omnibus domesticis usibus liber*. Ita expresse in Apostolico indulto, quo missam in privato Oratorio celebrari conceditur. Dicitur enim *ut in Oratorio.... ab omnibus domesticis usibus libero*: quod ablativum absolutum, ut observat Pasqualigo (*a*) importat conditionem l. *si debitor* §. 1. ff. *quibus modis pignus*, *vel*

(*a*) Ibidem q. 618. n. 8.

hypoth. solv., & notant Doctores; unde eodem docente (*a*) debet impleri in forma specifica l. *Qui haredi* & l. *Mænius* ff. *de condit. & dæmon.*, & ideo si hæc deficiat conditio, privilegium nullum est. *Nam*, ut ait laudatus Vir, *concessum sub una conditione, sub opposita censetur non concessum* l. *legata inutiliter* ff. *de adim. leg.* & l. *Quod pure* ff. *Quando dies leg.*, & ex Doctoribus pluribus, quos ipse citat (*b*).

ANIMADVERSIO I.

Non inficior per hanc Apostolici indulti clausulam minime excludi casum necessitatis; ac proinde privatum Oratorium inservire interdum posse pro aliqua domestica actione, quin illegitimum divinoque sacrificio prorsus ineptum idcirco reddatur. Considerandum tamen attente est, qualis sit hujusmodi necessitas. Ut enim pluribus probat laudatus Auctor, *si necessitas oriatur ex aliquo casu fortuito non duraturo, tunc videntur*, inquit, *habere locum quæ dicta sunt* (nempe

pe

(*a*) Ibidem.
(*b*) Ibidem n. 9.

pe privatum Oratorium inservire interdum posse pro aliquo usu domestico) *quia agitur de una aut altera vice, quæ non facit, quin Oratorium remaneat liberum ab usibus domesticis. Si vero necessitas duret aliquo tempore non videntur tunc posse habere locum* (*a*); videlicet *si pluries inserviat pro hujusmodi usibus, etiam ratione necessitatis, non remanet liberum ab usibus domesticis; siquidem multiplicatio horum actuum inducit usum domesticum, qui excluditur vigore concessionis* (*b*). *Si ergo* (concludit ille) *non remaneat locus liber a domesticis usibus, quamvis ad id necessitas urgeat, non servatur illa conditio, quæ requiritur in concessione, & sub qua est approbatus pro Oratorio ab Ordinario, & proinde perit etiam concessio, & approbatio. Nam concessum sub una conditione sub opposita censetur non concessum* (*c*). Id porro si verum est, uti profecto est verissimum,

Animadversio II.

Merito sane, optimoque jure se vere-

(*a*) Ibidem n. 8.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Ibidem n. 9.

ri ait Cl. P. Joannes Baptiſta Gattico, *quod ſæpe Pontificia facultate abutantur aliqui privilegiati, & illi maxime, qui nihil ſolliciti pro debita reverentia Oratorii non ſolum per illum tranſire ſolent, velut per unicum medium ad alia ſubeunda cubicula; verum non nunquam in Oratorio ipſo fixa armaria communibus veſtibus aliiſque rebus domeſticis continendis deſtinata collocant. Certe tunc quod liberum eſſe debet ab uſibus domeſticis, non mero Dei cultui addictum manet Oratorium, ſed ad alios etiam fines domeſticos deputatur, & cum magno dedecore in ſacrificium ipſum redundante adinſtar aliorum communium cubiculorum æſtimatur.* Juſtiſſime autem ſe neſcire putat Cl. Auctor *an ſimiles abuſus, qui gravem per ſe exhibent irreverentiam (profana enim actio ſi frequenter fiat plurimum auget delictum) ſemper prætextu ignorantiæ, aut inadvertentiæ excuſari poſſint. Nam rariſſime ſinceræ videntur hujuſmodi excuſationes; cum nemo,* inquit ille, *ſine temeritatis vitio uti debeat privilegio, niſi prius bene de illius conditionibus inſtructus fuerit. Excuſant autem ſe aliqui* (proſequitur Vir Cl.) *allegantes neceſſitatem ortam ex pro-*

priæ

priæ domus ſtructura propter quam nequeunt ad alia cubicula accedere, niſi tranſeundo per Oratorium, aut ex anguſtia domus, ob quam tantum non ſupereſt commodum rebus domeſticis curandis, niſi aliqua illarum portio in Oratorio ipſo collocetur. Vanæ tamen & inutiles ſunt hæ defenſionis techne. Nam quando neceſſitas *liberum non ſint habere a profanis uſibus Oratorium, etiam impedit Apoſtolici Indulti exercitium. Si porro carere exercitio domeſticarum Miſſarum moleſtum eſt privilegiato, neque ſit ipſi moleſtum alio modo providere, ut integre ſerventur conditiones illæ, ſine quibus Romanus Pontifex domeſticam Celebrationem non patitur: alia quippe eſt ratio, cum fortuito, ac ex cauſa extraordinaria coguntur privilegiati aliquem uſum domeſticum in Oratorio facere; alia vero cum aſſidue, aut frequenter in Oratorio profana opera fiunt. Semel aut iterum neceſſitate cogente etiam in publicis Eccleſiis licet comedere, ac dormire. At ſine cauſa, ac frequenter id ſine gravi culpa fieri nequit. Dum ergo Oratorium privatum præſcriptas in privilegio Pontificis, a cujus arbitrio non minus pendet permittere domeſtica Sacrificia, quam limitare requiſita*

pro domestico Oratorio, conditiones non habuerit, undecunque defectus iste promanet, sive ex culpa, sive ex necessitate privilegiati, desinit esse locus aptus Divinorum celebrationi. Enimvero deficiente conditione deficere necesse est etiam indultui beneficium, quod Benefactor omni modo ab illa dependere voluit (*a*). Porro

ANIMADVERSIO III.

Observante eodem Viro Cl. quamvis profana actio in domestico Oratorio peracta non sit *sacrilega* (quod nempe deficiente *consecratione*, vel *benedictione*, locus ille non sit Deo *sacer*, ejusque cultui *per se* destinatur) attamen, qui sine necessitate profanum aliquod in eo ageret, *adhuc*, inquit ille, *peccati reus esset, tamquam inobediens apostolicis mandatis, præcipientibus specialem reverentiam illi loco deferendam esse, qui usque dum perseverat aptus Sacrificio celebrando, debet etiam secerni a ceteris domus cubiculis, in quibus domestica exercitia, ac humana officia peraguntur. Quare si contingeret hoc genus irreverentiæ Oratorio privato*

(*a*) *De Oratoriis domesticis* cap. 23. n. 19. & 20.

vato irrogata ad gravitatem peccati pervenire, opus erit in Sacramento pœnitentiæ aperire circumstantiam hujusmodi, ut & gravitas culpæ exoritur & illius species cognoscitur. Non ambigimus autem quod aliquando ad gravitatem culpæ pervenire possent profanæ actiones in Oratorio approbato ad Missarum celebrationem peractæ si nempe frequenter in eodem profana opera fiant; cum hæc frequentia despectum ostendat (a).

Animadversio IV.

Eumdem si audiamus, tanta cura, ac diligentia cavendum est, ne in privato Oratorio profana peragantur, ut si secus fiat, non nisi nova accedente Ordinarii approbatione, Missa iterum in illo celebrari licite possit. *Arbitror*, inquit ille, *quod Oratorium tam antea ab Ordinario approbatum, & postea factum inutile ad privilegii Apostolici executionem propter usum profanum, non statim iterum evadat idoneum, ac capax Missis celebrandis, cum profana ab illo removentur, sed necessariam esse novam Ordinarii approbationem existimo. Etenim par mihi ra-*

(a) Ibidem n. 18.

ratio videtur, sive Oratorium ineptum reddatur Sacrificio, quia ab uno in aliud domus cubiculum transferatur, sive tantummodo quia usus profani in loco prius unice designato ad divinorum mysteriorum oblationem permixti fuerint. Revera alterutra ex his causis superfluam reddit priorem approbationem, quæ suppositis omnibus requisitis, ab Indulto Papæ ultimo exigitur, antequam Missæ actu in Oratorio celebrari possint. Nihil vero refert quod in Oratorio antea reddito inutili Missis celebrandis propter profanorum usuum in illo factorum admixtionem relinquatur altare cum ceteris ornamentis, quia semel sublata capacitate loci ad Sacrificium celebrandum, neque altare, neque ornatus, neque alia qualiacumque hujus generis ad facultatem celebrationis Missarum impertiendam sufficiunt. Unde sicut non suffragatur prior approbatio, dum Oratorii privati locus in altera domus parte deputatur; ita neque proderit præcedens approbatio, quamquam ad reddendum Oratorinm idoneum Celebrationi removeantur profani illi usus, a quibus inutilis facta fuerat prior approbatio (*a*). Hæc ille.

ANI-

(*a*) Loco citato n. 20.

ANIMADVERSIO V.

Etsi demum ex eo, quod aliquis dormiat super domesticum Oratorium non idcirco ipsum desinat esse a domesticis usibus liberum, quemadmodum Apostolicum Indultum necessario requirit; ac proinde *si aliter provideri nequeat angustæ privilegiati domui*, non inficietur laudatus P. Gattico, *in hac parte non nihil esse indulgendum* (*a*), neque desit, qui absolute dicat, id fieri posse quin illegitimum propterea Oratorium ipsum evadat; observandum tamen est a S. Carolo in Concilio IV. Provinciali Mediolanensi palam, aperteque hoc esse prohibitum. Præcipitur enim, *ne Ecclesiæ, aut Capellæ, aut etiam Oratorii, in quo Missæ Sacrificium aliquando peragitur, tecta palearum acervis, neque aliqua lignorum strue onerentur, ne item a parte superiori vel cœnaculum, vel cubiculum, vel omnino locum habeant, ubi aut dormiatur, aut habitetur, aut quidquam profani fiat. Quæ vero loca jam hujusmodi sunt, omnino amoveantur* (*b*).

II.

(*a*) Ibidem n. 6.
(*b*) Tit. de profano usu a sacris tollendo.

II.

Necesse est secundo, *ut locus Oratorii sit separatus a tricliniis, iisque cubiculis, in quibus familia habitat, aut frequenter versatur*. Ita expresse præcipitur in Concilio I. Provinciali Mediolanensi. Mandat enim Concilium, ne privata Oratoria *sint in interiorum ædium partibus, in quibus domini vel familia frequentius versatur; sed commodo & honesto loco a cubiculis, tricliniis, & ab aula separato (a)*. Quanti autem hoc Concilium fieri debeat, non est profecto cur ipse dicam. Moneo solum, Summum Pontificem S. Pium V. quemadmodum S. Carolus, a quo Concilium illud celebratum fuit, palam, aperteque testatur *(b) litteris suis Apostolicam interposuisse auctoritatem, ut illius decreta* ad eos *etiam pertinerent, qui alioquin ipsis non tenerentur*. Illud etiam accedit, quod omnibus locorum Ordinariis a Sacrosancta Tridentina Synodo mandatum habemus, videlicet *ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad*

(a) Tit. de iis, quæ pertinent ad celeb. Missæ.
(b) Epist. huic Concil. præfixa.

ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum Missæ *Sacrificium peragi*, data illis potestate, ut etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, *non solum ea ipsa*, quæ Concilium hac super re constituerat, *sed quacunque alia huc pertinere visa fuerint, prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur fidelem populum compellant (a)*. Sicuti ergo Mediolanense Provinciale Concilium, hac etiam sibi data facultate, præcipere potuit, ne privata Oratoria *sint interiarum ædium partibus, in quibus domini, vel familia frequentius versatur, sed commodo, & honesto loco a cubiculis tricliniis, & ab aula separato*, ita nemini profecto licet in hac provincia sine gravi culpa, aliter, ac illud constituerat domesticum Oratorium construere. Ceterum ut observat Pasqualigo (*b*) & cum eo Pignatellus (*c*), hæc privati Oratorii conditio ex iis etiam Apostolici Indulti verbis colligitur, quibus in illo

(*a*) Seff. XXII. Decret. *de observ. in celeb. Missa*.
(*b*) Tom. I. *de Sacrif. Missæ* q. 618. n. I.
(*c*) Tom. VI. *Consult.* 98. n. 26.

lo præcipitur, ut ejusmodi Oratorium sit *decenter muro extructum*, *& ab omnibus domesticis usibus liberum*. Ex hisce namque constare ait Pasqualigo, *quod locus Oratorii debet taliter esse dispositus, ut discernatur tamquam locus a ceteris discretus, & a domesticis usibus exemptus, cultui divino specialiter designatus*; & ideo *segregatus quoad instructionem a ceteris locis, quæ inserviunt pro habitatione familiæ, & domesticis usibus* (*a*).

III.

Necesse est tertio, *ut domesticum Oratorium habeat formam parvæ Ecclesiæ*. Ita siquidem primo in laudato Mediolanensi Concilio statutum legitur. Non solum quippe in illo præcipitur, ut locus Oratorii separatus sit ab ea domus parte, in qua familia habitat, aut frequentius versatur; verum etiam *ut ad* templi *formam*, *& regulam propius accedat* (*b*). Evincitur secundo ex S. Congregatione Concilii. Cum enim, ut refert Cl. P. Gattico (*c*) Epi-

(*a*) Loco citato.
(*b*) Loco citato.
(*c*) *De Orator. dom.* cap. 23. n. 1.

Episcopus Parmensis Sacram illam Congregationem anno 1577. interrogasset, *an concedi posset in domibus privatis Sacrificium in loco ibi destinato, non tamen* Oratorii *formam habente, si adsit altare*, respondit S. Congregatio, *quod oportet* Oratorii *formam habere*. Idipsum teste eodem Viro Cl. (*a*), respondit S. eadem Congregatio Episcopo Perusino, qui idem quæsierat. Colligitur tertio ex hoc quod exigat Summus Pontifex, ut domesticum Oratorium sit *decenter muro* extructum. Ex his enim verbis colligit Pasqualigo locum Oratorii similem esse debere, quoad instructionem *Ecclesiis*, & *Oratoriis publicis* (*b*), neque secus illa Apostolici Indulti verba interpretatur P. Gattico. Præmisso namque, Romanos Pontifices, cum Missarum celebrationem in privatis domibus concesserunt, ferme semper postulasse *locum aliquem idoneum, atque in* Oratorii *formam compositum*, ait Vir Cl., *ut magis hujusmodi* forma servaretur, expresse exigi in Apostolico Indulto, *illud esse debere* muro extructum; *atque hac conditione dum consulitur decori SS. Sacramen-*

(*a*) Ibidem.
(*b*) Tom. 1. *de Sacrif. Missæ* q. 618. n. 1.

menti simul custodiri antiquissimos mores fidelium, qui cum poterant, in domibus ipsis Oratoria ex muro, & lapide construebant; imo sæpe consecrabant itaut rarissime, & nonnisi ob nimiam paupertatem Sacella lignea construerent (a). Suadetur postremo ex hoc quod non dicat Pontifex ab se permitti celebrationem Missæ in aliquo privato loco domus, sed in *privato Oratorio*. Certum est enim *privati Oratorii* nomine *parvam Ecclesiam* intelligi, in quam aditus pateat non ex via publica, sed per locum privatæ jurisdictioni subjectum; per hoc quippe ut pluribus erudite demonstrat laudatus P. Gattico (*b*), *privatum Oratorium*, *ab Oratorio publico* maxime discernitur. Itaque sicuti initio monui, cum verba Apostolici Indulti, quo Missæ celebratio in privata domo conceditur, stricte intelligi debeant, privatum Oratorium formam habeat *parvæ Ecclesiæ* perinde ac publicum, necesse est.

IV.

Necesse est quarto, *ne Oratorium sit ita*

(*a*) Loco citato.
(*b*) De Orator. Dom. cap. 3.

ita angustum, ut qui Missam, quæ in eo celebratur, audituri sunt extra illud stare cogantur, ibique sacro interesse, ubi profana exercentur. Hæc notabilis conditio expresse exigitur in Oratorio privato, ut sit legitimum, a memorato Concilio I. Mediolanensi. In illo siquidem præter ea, quæ jam retulimus, distincte præcipitur, *ne* privata Oratoria *ita angusta sint, ut qui Missam audierint, ad ostium, aut fenestram stare cogantur, aut denique ibi sacris interesse, ubi promiscue profanum aliquod exercetur: quod* (inquit Concilium) *fieri omnino prohibemus* (*a*). Loquens quoque P. Gattico de altera conditione expresse requisita in Apostolico Indulto, quod nempe constructio domestici Oratorii sit *decenter* facta, ait, non exponi quidem in litteris Apostolicis, qualis illa esse debeat, *quia norma decentiæ privatorum Oratoriorum a publicis Oratoriis, solo relicto discrimine molis, apte desumi potest. At vero circa latitudinem Oratorii domestici* advertendum censet, *quod licet minor in illis, quam in publicis desideretur, tanta tamen*, inquit, *pro illis requiritur, quanta commode capiendis dome-*

(*a*) Loco citato.

sticis actu simul Sacrificio assistentibus sufficiat. Novi equidem (prosequitur Cl. Auctor) *adstantes etiam prope januam Ecclesiarum præceptum Missæ adimplere; verum sicut omnibus est explorata indecentia illorum, qui sine legitima causa fores Ecclesiæ non intrant, ita nonnullam indecentiam præseferunt quædam nimis* angusta domestica *Oratoria, in quibus commode decem, aut duodecim adstantes manere non possunt, nisi forte aliæ causæ valde graves hanc nimiam angustiam excusent, quemadmodum occurrunt in illis parvis cellulis, quæ versæ in Oratorium fuerunt ob reverentiam, & memoriam Sanctorum, qui cum viverent, eas incoluerunt (a).* Hinc observante eodem Viro Cl.

ANIMADVERSIO I.

Intelligere ii facile possunt *deformitatem propriorum, Oratoriorum, quæ divisione cubiculi asserum sepimento parant; ac minore illius parte pro Oratorio assignata, majorem profanis usibus servant, ubi postquam domesticis operibus, ac forte etiam ludis vacaverunt, ibidem audent sacro inte-*

(a) De Orat. dom. cap. 23. n. 2.

tereſſe. Digni certe, inquit ille, *privatione ſingularis privilegii, quo abutuntur tum ſine neceſſitate extra Oratorium Miſſæ aſſiſtentes, tum ligneis tabulis partem unam Oratorii confingentes contra Indulti rigorem, quo illud extrui* muro *deſideratur, ac ſeparari penitus ab aliis profanis cubiculis, præcipitur* (a).

Animadversio II.

At errant longe gravius, qui ſibi perſuadent, ad privatum legitimum Oratorium ſatis eſſe, ut in una parte cubiculi, domeſticis imo, & profanis uſibus inſervientis, habeatur altare, quod amplo ligneo armario, abſoluta Miſſa, claudatur. Nullum quippe eſſe Oratorium hujuſmodi ex hactenus expoſitis conditionibus, quas illud habere neceſſario debet, ut ſit legitimum, nemo eſt profecto, qui, etiam me tacente, non videat. Non enim muro extructum eſt; non habet parvæ Eccleſiæ formam; eſtque adeo anguſtum, ut non ſolum qui Miſſæ aſſiſtunt, verum etiam, qui Sacerdoti celebranti miniſtrat, extra illud ſtare cogantur.

(a) Loco citato.

tur. Verum enimvero quantum hujusce-modi Oratorium Apostolico Privilegio, quo privata Capella conceditur, contrarium sit, quamque menti Pontificis concedentis illud repugnet, ex nupera Clementis XII. declaratione, ab Emo Urbis Vic. Card. Guadaneo die 19. Feb. 1738. ejusdem Pontificis jussu, Romæ promulgata luculentissime demonstratur, & citra omnem prorsus dubitationis aleam ponitur. En illius verba: *Avendo la Santità di Nostro Signore inteso non senza suo particolar dispiacere, che molti, a' quali per breve speciale della Santità Sua, e suoi Predecessori, ovvero in virtù di privilegio Apostolico, ò rescritto è stato permesso di poter erigere nelle case di loro abitazione l'Oratorio privato, o sia Cappella con facoltà di farvi celebrare la santa Messa, si abbiano fatto lecito stabilire detto Oratorio in un* Credenzone di legno, *ò sia* Armario, e di collocarlo in stanze esposte e necessarie per li uffizj domestici; e *volendo la Santità sua rimovere somigliante abuso reso maggiore dall' essere notabilmente cresciuti di numero, e che direttamente si oppone alla disposizione di simili Grazie, e Brevi, quali ordinano, che detti Orato-*

torj debbano essere fatti di muro, decentemente ornati, e liberi da ogni uso domestico (ut in privato domus tuæ habitationis Oratorio, ad hoc decenter muro exstructo, & ornato, seu exstruendo, & ornando ab omnibus domesticis usibus libero &c.) *ma anche contro la riverenza, e venerazione dovuta al santo Sacrificio della Messa, col tenore della presente notificazione da noi pubblicata in virtù dell' oracolo della sua viva voce, Nostro Signore abolisce, riprova, e sospende tutti i suddetti Oratorj, i quali non saranno construtti*, e fabbricati *secondo che si prescrive nell' enuntiate parole del Breve; e dichiara, che nella stessa forma debba intendersi qualunque indulto, che o per privilegio, o per rescritto della Santità sua, o de' suoi Predecessori si fosse ottenuto in somigliante materia con proibire espressamente a qual si sia Sacerdote di qualunque stato, grado, o condizione di celebrarvi la Santa Messa*. Porro, ut egregie hinc infert Cl. P. Gattico, a quo notificatio ipsa integra exhibetur (a) *dum* Summus Pontifex *ab urbe similes eliminavit abusus, satis docuit quam vehementer illis* de-

(a) De Orator. Dom. cap. 23. n. 1.

debeant resistere omnes locorum Ordinarii, si fortè eos etiam in ipsorum Diœcesi gliscere noverint (a).

ANIMADVERSIO III.

Falluntur propterea hoc eodem jure ii etiam omnes, qui ad privatum legitimum Oratorium sufficere arbitrantur, ut Altare cum palla, ceterisque ad illius ornatum pertinentibus, sit intra cavitatem factam in uno domestici cubiculi pariete, quæ lignea tabula, absoluto sacrificio claudatur. Falluntur, inquam; nam prætermisso, hujusmodi quoque Oratorium non habere parvæ Ecclesiæ formam, neque capere eos posse, qui Missæ assistunt, nemo non videt, illud quoque non aliam formam præseferre, quam vel ampli armarii, vel januæ, per quam in proximum cubiculum aditus pateat; & ideo ipsum quoque vigore Pontificii Oraculi, quod modo recensui, omnino esse proscriptum. *Neque enim casus omnes legibus comprehendi possunt, & ideo*, ut docet Cl. Pirhing, *cum unus pro facti ratione, ac specie decisus sit, ea decisio ad alios casus simi-*

(a) Ibidem.

similes ob rationis identitatem extendi debet l. Non possumus 12. ff. de legibus (*a*).

Animadversio IV.

Si quis autem pro sustinendis ceu legitimis privatis Oratoriis, quorum amplitudo pœne tantum continendo altari satis est, dicat aut totum illud cubiculum, in quo habetur altare armario clausum, aut vicinam aulam, ex qua aperta janua satis ampla, aspectus in ipsum Altare patet, ad Oratorium pertinere, caveat tunc is maxime oportet, ne quid sit in aulæ vel cubiculi ornatu, quod ad domesticos usus pertineat, sicuti etiam ne profana aliqua, vel domestica actio ibi peragatur. *Si enim*, inquit Cl. P. Gattico, *istorum aliqua in illis aulis agerentur, certe prophanum, & ineptum Oratorium licitæ Missarum celebrationi redderent. Etenim semel atque locus Oratorio deputatus, & ut talis ab Episcopo, vel ad quem spectat, approbatus fuerit, nequit aliis usibus deservire, sive altare semper pateat, sive aliquando lignis, aut panno penitus cooperiatur. Quin potius plurimum deceret, ut oper-*

(*a*) Tom. II. *in Jus Canon.* lib. 2. tit. 26. sect. 4. §. 1.

to licet altari clarum in aula signum emicaret, unde locus ille tamquam pars Oratorii, & locus rei divinæ deputatus illico ab omnibus dignosceretur (*a*).

ANIMADVERSIO V.

Pertinet quoque ad decentem privati Oratorii structuram, ut altare prorsus immobile in illo statuatur. Id enim necessario requiri, declaravit, referente eodem Viro Cl. (*b*), S. Rituum Congregatio die 3. Decembris anni 1661. in una *Nullius Loci Cirignolæ*, his verbis: *Habens indultum a Sede Apostolica erigendi Oratorium privatum in propria domo, si quis voluerit ibi ædificare altare ligneum non indiget facultate Apostolica, dummodo altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, & altaris portatilis imaginem non præseferat.*

ANIMADVERSIO VI.

Unum postremo ad decentem privati Oratorii structuram itidem spectans obser-

(*a*) De Orator. Dom. cap. 23. n. 9.
(*b*) Ibidem n. 10.

ſervandum reſtat, *quod*, ut ait laudatus P. Gattico, *niſi obſervaretur, indecentiam non modicam, deformitatemque oſtenderet:* videlicet *altare non in angulo Oratorii aptandum eſſe, ſed in medio, ſive poſtea pro majori amplitudine loci aut anguſtia immediate parieti adhæreat, ſive non nihil ab iſto remotum fuerit. Hanc ſane conſuetudinem* (pergit ille) *tenuerunt veteres tam in parvis, quam in amplis Eccleſiis, in quibus unicum erigentes altare illud non ad latera, ſed in medio ſtatuebant, tamquam in nobiliore, & adſtantibus patentiore Sede* (*a*).

V.

Ad privatum, ſive domeſticum Oratorium neceſſarium poſtremo eſt, *ut ſit decenter ornatum*. Hæc quoque conditio diſtincte exprimitur in Apoſtolico Indulto, quo illud permittitur, ut proinde quemadmodum diximus, loquendo de prima conditione, illegitimum ſit Orarorium ipſum, ſi hæc deficiat. Itaque *decenter ornatum* debet eſſe domeſticum Oratorium, videlicet non ſolum oportet, ut nihil in illo inordinatum ſit, aut præ-

(*a*) Cap. laudato n. 12.

præpoſtere, & tumultuario accommodatum, nihil profanum, nihilque inhoneſtum; verum etiam ejuſmodi eſſe debent omnia, quæ pertinent, tum ad ipſius Oratorii, & Altaris ornatum, tum ad apparatum Sacerdotis pro Miſſa celebranda, ut ſpecialem nitorem ea omnia contineant. Etenim inquit Cl. Paſqualigo, *quia Pontifex requirit*, quod Oratorium ſit decenter ornatum, *ideo apparatus qui eſt neceſſarius non ſolum pro iſtructione altaris, ſed etiam pro Sacerdote, Miniſtro, & loco debet continere quamdam ſpecialem decentiam in ordine ſuo, alioquin non eſſet decenter ornatum. Hæc enim decentia importat ſpecialem qualitatem in ornatu, quæ proinde verificanda eſt, ut poſſit Oratorium approbari ab Ordinario (a).*

ANIMADVERSIO I.

Obſervante eodem Viro Cl., major nitor, ornatuſque ſplendidior in privatis, quam in publicis Oratoriis requiritur. *Eſt advertendum*, inquit ille, *quod in his Oratoriis* (ſcilicet domeſticis) *quoad ornatum requiritur major nitor, & ſplendidior ornatus, quam in Eccleſiis. Nam Orato-*

(a) Tom. I. *de Sacrif. Miſſæ* q. 618. n. 3.

toria ista, tamquam in privata domo, ut veluti in loco alieno ab oblatione Sacrificii debent in ornatu excedere, ut appareat, quod privilegiati non abutantur privilegio, sed cum omni decore tractent locum Sacrificii. Rursus in Ecclesiis tolerari potest minor cultus in ornatu, vel ob ipsam paupertatem, vel quia cum sint locus permanenter dicatus cultui divino, ex hac dedicatione acquirunt venerationem: quod cum cesset in his Oratoriis privatis debet suppleri nitore ornatus (a). Profecto, ut recte observat P. Gattico, *valde indecens foret, ut cetera domus conclavia aureis, ac pretiosis ornamentis splenderent, & interim potioris in tota domo cubiculi rei divinæ designati parietes nudi relinquerentur. Hac enim nuditas collata cum ornamentis aliorum cubiculorum indecentiam non modicam exhiberet (b).*

ANIMADVERSIO II.

Optabile porro foret, ait idem Cl. Auctor, *ut parva cellula immediate cum Oratorio communicans haberetur, quæ ad instar* Sacristiæ, sa-

(*a*) Loco citato.
(*b*) Loco citato *de Orator. Dom.* cap. 23. n. 7.

ſacrive veſtiarii *præberet celebraturo Sacerdoti commoditatem ſecreto orandi ante, & poſt Sacrificium, & ſe ſacris veſtibus induendi; quæque demum apta eſſet cuſtodire ſancta veſtimenta, ac vaſa ſacra ibi in præparatis, affabreque compoſitis, ac caute claudendis armariis collocanda* (*a*). Etſi porro Vir Cl. id optabile fore dicat, non inficiatur tamen condonandum eſſe *ob domorum anguſtiam, vel ob domeſticorum cubiculorum ordinem non facile permittentem alicui parvi Paratorii ſpecialem deputationem* (*b*). Veruntamen neceſſario tunc cenſet *parare in Oratorio ipſo abachum, aut menſam decentem, ſuper quam collocentur ſacræ veſtes a Sacerdote ſumendæ, ne cogatur eas de altari ipſo accipere, quod non ſemel a S. Rituum Congregatione prudentiſſimis decretis vetitum P. Merati* Comment. in Rub. Gavanti tom. I. pag. 314., & 317. edit. Rom. *demonſtrat* (*c*).

Animadversio III.

Valde congruum, eodem quoque monen-

(*a*) Cap. laudato n. 15.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Ibidem.

nente, *est in aliqua decenti capsa, armariove ab aliis profanis usibus libero diligenter reponere sacram supellectilem, ne forte a profanis manibus tractetur, & variis incommodis, ac irreverentiæ periculis exposita deseratur. Quanta enim,* inquit, *cura debeant sacra vasa, quantave diligentia custodiendæ sint Sacerdotales vestes, ostendit usus, ob quem fuerunt prius Deo dicata per benedictionem, aut consecrationem; ac confirmat perennis Ecclesiæ disciplina, qua sacrum ministerium custodiæ Clericorum deputabatur. Porro quia crimini vertendum putabant veteres Patres, si alibi sacra vasa, vestesque asservarentur, quam in sacrario, aut simili alio loco honesto ad Ecclesiam spectante: insuper quia recentes Ecclesiæ ritus, nisi gravis causa aliud suadeat, severe postulant custodiri sacram supellectilem in loco non profano (equidem inter alia honoris signa rebus sacris debita, etiam loci dignitas atque honestas requiritur) propterea sano, saluberrimoque consilio desiderare solent locorum Ordinarii, ut in Oratoriis domesticis, a quibus deest specialis cella Sacristiæ vices supplens, construatur armarium decenti structura, collocetürque intra ipsum Oratorium, quatenus & sacrum*

mi-

ministerium diligenter custodiatur, & locus, in quo conservatur sacra suppellex, sit reliquis privatæ domus cubiculis convenientior, atque decentior (a).

Animadversio IV.

Ne quis demum sibi falso persuadeat, in Oratorio, cui non omnes insunt conditiones ad illud, ut sit legitimum, requisitæ, licite posse Missam celebrari, si non obstante ejusmodi defectu, Oratorium ipsum, ab Ordinario approbatum fuerit, velim, ii omnes, qui domestici Oratorii privilegio donati sunt, serio considerent, quod egregie tradunt, invicteque demonstrant Viri doctissimi Pasqualigo, & Gattico. Quærens igitur Pasqualigo, *an si Oratorium non habeat qualitates expressas in litteris concessionis concernentes decentiam, & ornatum, possit in ipso celebrari, stante approbatione Ordinarii*, respondet Vir Cl., *in hac difficultate certum esse*, ORDINARIUM GRAVITER PECCARE *approbando Oratorium, quod caret qualitatibus requisitis in concessione, ut notat*, inquit, *etiam Tancredus* in quæst. mo-

(a) Ibidem n. 16.

moral. tract. 2. q. 65. *Quia in re gravi concernente oblationem Sacrificii facit contra ejusdem decentiam, & non servat terminos suæ commissionis, cujus vigore potest solum approbare Oratorium habens requisitas qualitates. Unde etiam* NULLITER PROCEDIT, *dum non servat, quæ in approbando Oratorio servare debet* cap. Venerabili de Offic. Delegati, & cap. Cum dilecta de rescript. *& notant Glossa ibidem verbo* Transponentes, *Rota* decis. 277. n. 14., *&* decis. 404. n. 13. Tom. II. p. 4. *recent. &* decis. 261. n. 12. p. 7. *recent. Ex quo fit, quod* in hujusmodi Oratorio non possit celebrari, *ut notat etiam Tancredus citatus. Quia cum approbatio sit nulla, perinde est, ac si* (Oratorium) *non fuisset approbatum. Deinde quia licentia celebrandi conceditur sub conditione, quod* habeat Oratorium *præscriptas qualitates, quibus si caret, cum deficiat conditio, deficit etiam concessio* l. Si quis sub conditione, ff. *si quis omiss. caus.*, & l. ex facto, ff. *de hæred. instit.* Hæc Pasqualigo (*a*), cui, iisdem omnino usus verbis, consentit etiam Pignatellus (*b*). Ita vero P. Gattico.

Præ-

(*a*) Tom. I. *de Sacrif. Missæ* q. 618. n. 12.
(*b*) Tom. VI. *Consult.* 98. n. 38.

Præmiſſo etenim, ordinarium, *qui zelo devotionis ardet erga divina myſteria, & debitam Apoſtolicis mandatis obedientiam præbet*, attente obſervare debere, *an omnia, quæ juxta Indulti tenorem deſiderantur, ad domeſticam celebrationem, ſive locum, ſive ſtructuram, ſive ornatum Oratorii, ſacræque ſuppellectilis reſpiciant, bene diſpoſita, & præparata fuerint*, ait, *certe plurimum expedire ante approbationem diligenter obſervare*, an omnes conditiones, & requiſita a Pontificiis litteris exigita, aut præſuppoſita reperiantur, *ne ſi illorum aliquod defuerit irrita penitus approbatio reddatur. Revera* (pergit ille) *ſi contingeret* (*hoc vix ſuſpicari auderem in tanta pietate, ſanctaque ſollicitudine Ordinariorum, niſi aliquando a delegatis viſitatoribus deciperentur*) *aliquod approbari Oratorium non ſervatis Indulti conditionibus, adhuc illud ineptum foret divinis myſteriis; quia dum Pontifex approbationem Ordinarii requirit, non illius arbitrio ſubjicit conditiones in privilegio expreſſas; ſed potius viſitationem ab Ordinario faciendam jubet, ut deſideratæ conditiones ſecurius ſerventur, & integræ executioni tradantur. Quare nimis ab eodem Ordinario jura propria*

pria excederentur, si sibi liberum fore judicaret, dispensationem privilegiato in his concedere, quibus Pontifex gratiam ab ejus tantum voluntate non minus in concessione, quam in adjectis restrictionibus dependentem coarctare voluit. Hinc sicut præmissis ceteris conditionibus, ac requisitis, si desit visitatio & approbatio Ordinarii indultum Apostolicum effectu caret; quia nondum impleta est indulti conditio; ita pariter etiam facta approbatione omni effectu carebit indultum, si aliquod aliud requisitum defuerit, quod non minus quam visitatio, & approbatio Ordinarii a Pontifice ad executionem privilegii exigitur. Generatim quippe, inquit Vir.Cl. *irritum ac inane est, quod contra formam, rescripti fit, ut Innocentius III. Papa cap. Cum dilecta lib. II. Decret. Tit. 3. de rescriptis declarat, si videlicet agens non alia, quam in illius virtute operetur. Adinstar itaque meri cognitoris se gerit Ordinarius circa ea, quæ requirit indultum, cujus formam plus cæteris exacta diligentia exercere ille debet, cui in iisdem Apostolici privilegii litteris specialis prærogativa suam simul superaddendi approbationem conceditur (a).* Unum porro restat,

(*a*) *De Orator. Dom.* cap. 24. n. 5.

ſtat, ab eodem Viro Cl. obſervatum, neque hoc loco penitus negligendum, videlicet Ordinarium, non ſolum per ſe, vel per alium, qui requiſita ad domeſticum Oratorium, ut ſit legitimum, probe ſciat, Oratorium ipſum viſitare, & approbare debere, antequam miſſa in illo celebretur; verum etiam debere, poſteaquam illud approbatum ab ipſo fuit, vigilare attente, nequa ex neceſſario requiſitis conditionibus unquam ipſi deſit. Loquens enim Cl. Auctor de illis verbis Apoſtolici indulti, quibus conceditur celebratio Miſſæ in domeſtico jam approbato Oratorio *de ipſius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura*, ait hunc eſſe verum, genuinumque illorum verborum ſenſum: *Cum Romanus Pontifex omnem irreverentiæ occaſionem a ſacrificio in privatis Oratoriis conceſſo auferre ſtuderet, non minus ſapienter providere voluit incommodis, quæ occurrere poterant, antequam primo privilegium operi mandaretur, quam aliis multis, quæ deinceps contingere poſſunt cum privilegiatus aſſiduum uſum Apoſtolicæ gratiæ proſequitur. Ut enim periculoſum fuiſſet permittere celebrationem Miſſarum in Oratorio, niſi prius ab Ordinario viſitaretur, &*
pro-

approbaretur; Ita multo majoris periculi res fuisset, si facta approbatione Oratorii non amplius vigilare oportuisset, ut omnia recte peragerentur. Omnibus ergo periculis simul providens Ordinariorum vigilantia commisit prius visitare, & approbare Oratorium, ne unquam vel semel in illo Divinorum Misteriorum consecratio fieret sine debita decentia, & honore; deinceps vero assidue excubare, ut æquali cum reverentia illic sacrificia offerentur, impediendo, ac suspendendo licentiam celebrandi in iisdem Oratoriis, si contingeret præscriptas conditiones violari, quæ non solum cum primo approbantur, quam etiam pro omni alio tempore, quo facultas celebrandi in illis præseverat, a privilegiatis custodiri debent. En itaque sensum illorum verborum. En scopum Pontificis, qui voluit auctoritati Ordinariorum Oratoria primum approbata ad exercitium Apostolici indulti semper subjecta, ut sine limitatione temporis ipsi possent gratiæ prosecutionem suspendere, quoties contra indulti formam aliquod irrepsisset incomodum. Ecce demum quam exacte provideat Pontifex Romanus quibuscumque periculis, qualicumque tempore oborturis, sive dum privilegiatus primo in-

cipit privilegio uti, sive dum de illius beneficio gaudere prosequitur (a).

CAPUT SECUNDUM.

De iis, qui vigore Apostolici Indulti Missam in privato domus suæ Oratorio celebrari facere licite possunt.

DEterminatis conditionibus, quæ ad Domesticum Oratorium, ut sanctum Missæ Sacrificium licite in eo offeri queat, necessario requiruntur, de iis modo dicendum est, qui ex Apostolico Indulto Missam in privato domus suæ Oratorio celebrari facere possunt. Mortaliter siquidem peccare, qui sine Apostolica concessione id facere auderet, consentiunt omnes. Ad rem itaque, ut veniamus.

I.

Dico primo, eos omnes, & eorum quemlibet Missam, in privato domus suæ Oratorio, vigore Apostolici Indulti, celebrari facere libere ac licite posse, qui ad effectum hujusmodi proprio nomine in

(a) Cap. laudato n. 8.

in ipso indulto nuncupantur. Id siquidem ex ipsiusmet indulti verbis adeo clarum perspicuumque est, ut demonstratione non indigeat. Illis namque omnibus proprio nomine nuncupatis, ait Pontifex, se eorum præcibus, quibus nempe facultatem hanc ab eo humiliter postulabant, velle annuere, & ideo benigne concedere, & indulgere, ut ipsi omnes, & eorum singuli Missam in privato domus suæ Oratorio *celebrari facere* libere, ac licite possint, & valeant.

II.

Dico Secundo, absentibus iis, quibus proprio nomine in indulto nuncupatis, licentia hujusmodi concessa est, neminem eorum, qui sub generali, *natorum*, *consanguineorum*, *& affinium*, *aut familiarium* vocabulo in indulto veniunt, facere licite posse, ut ipsis dumtaxat præsentibus Missa in privato domus suæ Oratorio celebretur. Volumus enim, inquit Pontifex in Brevi concessionis, quod *nati*, *consanguinei*, *& affines supradicti .... prædictam unicam Missam* vobis (scilicet iis, quibus privilegium expresse conceditur) *præsen-*

tibus tantummodo audire, nunquam autem celebrari facere valeant. Quoniam vero hisce verbis non obstantibus, plerique Viri Doctissimi, quos inter Pasqualigo (*a*) Pignatellus (*b*) Mostazo (*c*) & Clericatus (*d*) palam aperteque docent, ad Missam in domestico Oratorio licite celebrandam minime requiri, ut ibi sit præsens aliquis eorum, quibus id in indulto expresse conceditur; sed sufficere, ut aliquis de *familia* ibi tum præsens existat, propterea nimirum quia dictio *&* in illis indulti verbis: *In tua, & familiæ tuæ præsentia* non stet *conjunctive*, sed *disjunctive*, adeo nempe ut particulæ *vel* æquivaleat: hinc præterundum silentio non est, proposito dubio, *an liceret missam celebrari in privato Oratorio; etiam sine præsentia alterutrius ex iis, in quos indulti concessio directa erat*, Sacram Congreg. Concilii die 3. Decembris anno 1740. respondisse *non licere*: quam deinde resolutionem Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV., peculiari edito Decreto sub die 7. Januarii anno 1741., *reprobata contra-*

(*a*) Tom. 1. *de Sacrif. Missæ* q. 652.
(*b*) Tom. VI. *Consult.* 98. n. 99.
(*c*) Lib. V. *de Causis Piis* c. 10. n. 65.
(*d*) *De Euch.* dec. 8. §. 14. n. 47.

traria Doctorum Sententia, ne dum approbavit, verum prædicto Decreto publice evulgando, voluit omnibus notum fieri, non posse vigore similis indulti celebrari Missam in privatis Oratoriis, quando eidem missæ actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est ..... adeo ut sine præsentia alicujus ex dictis personis minime liceat Missæ sacrificium peragi, etiam si præsens sit aliquis, sive ex Filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinibus, sive ex Familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus in eodem brevi memoratis. Nemo igitur vel levissime dubitare amplius potest, quominus Missa in privato Oratorio celebrari nequeat, si nullus eorum, quibus proprio nomine in indulto nuncupatis privilegium ejusmodi concessum est, in illo tunc præsens existat.

ANIMADVERSIO I.

Verum enimvero cum expresse dicatur in eodem decreto, *indultum principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum personis illis, quæ a Tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur*; propterea illo vix evul-

gato, dubitatum fuit, an iis, quibus non quidem a *tergo*, ſed in corpore brevis proprio nomine nuncupatis, facultas non audiendi ſolum, ſed faciendi celebrare Miſſam expreſſe conceditur, ejuſmodi facultate uti legitime poſſint. Negabant plerique, memoratis Decreti verbis innixi; ſed affirmabant alii contendentes fore, ſi ſecus, ut Summus Pontifex (quod profecto nefas eſt dicere) ſibi metipſi nequaquam conſtaret, cum ſcilicet facultatem hanc illis in corpore Brevis expreſſe tribuerit. Ad omnes igitur tollendas animorum anxietates Sapientiſſimus, totique orbi Celeberrimus, hujus urbis Antiſtes Emus Card. Angelus Maria Quirinus Paſtorales Litteras edidit, quas integras hic volens, lubenſque ſubjicio. Ita ergo illæ ſe habent: *Promoſſaſi inopportunamente anche in queſta Dioceſi nel tempo dell'ultima noſtra aſſenza dalla medeſima l'opinione, che in virtù del Decreto Pontificio 3. Decembre 1740. s'intenda onninamente proibito il far celebrar la ſanta Meſſa negli Oratorj Privati delle Caſe, che ne hanno ottenuto ſopra ciò ſpeciale privilegio Apoſtolico, ogni qualvolta alla medeſima non ſia preſente alcuna perſona di quel-*

quelle, alle quali principalmente il detto indulto è stato concesso, cioè delle nominate a tergo del Breve; stimiamo debito del nostro uffizio, il rigettare l'insorto dubbio, ed assicurare le coscienze di ogn' uno, che si trova in libero possesso di detti speciali privilegj. E qual dubbio può mai ragionevolmente fondarsi, quando in questi, oltre i supplicanti notati a tergo, si trovano alle volte specificati i nomi d'alcuna altra persona, ed a queste espliticamente si legge concesso, che esse pure Missæ sacrificium celebrari facere licite possint & valeant? *Chi non vede non doversi intendere ferita così chiara espressione del decreto Pontificio suddetto, il quale niente accennando circa la restrizione de' privilegj speciali, che giornalmente si rilasciano dalla Santa Sede, si ferma unicamente a riprovare, e proscrivere la falsa interpretazione, che viene data a' medesimi da alcuni Dottori, e però ivi si dice:* sublata igitur, & proscripta quacumque minus germana interpretatione ejusmodi Brevium, & Indultorum in contrarium hactenus facta Sanctitas Sua ita declaravit? *Chi non sa altra non essere tale interpretazione, se non quella, che ammetteva a far celebrare la Mes-*

Messa negli Oratorii Privati le persone tutte genericamente enunziate nel Breve, e però doversi a quella riferire le parole usate nell' allegato Decreto : minime liceat Missæ sacrificium peragi, etiam si præsens sit aliquis sive ex Filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinibus, sive ex familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus in eodem brevi memoratis? *Il voler intender detto Decreto in un senso manifestamente opposto al testo non solo dei Privilegj, ne' quali si fa detta enunciazione generica, ma delli speciali ancora, ove si trovano (come si è detto di sopra) oltre i principali supplicanti notati* a tergo *espressi i nomi d'alcune altre persone, e si esprime parimente la graziosa concessione fatta a queste di poter far celebrare la santa Messa a guisa delli stessi principali, sarebbe un non saper distinguere il privilegio della legge comune, nè le false interpretazioni da espressioni chiarissime. Sarebbe per cagion d'esempio un credere, che il Decreto Generale prescritivo dell'Ordinazione da farsi* temporibus ab Ecclesia statutis, *& in cui si leggessero condannate opinioni, consuetudini, e concessioni in contrario, venisse a distruggere i Brevi tut-*

tutti d' ordinarsi extra tempora, *che si accordano giornalmente dal Pontefice.*

Animadversio II.

Porro sive una dumtaxat, sive plures fuerint personæ, quæ ejusdem indulti vigore, Missam in domestico Oratorio celebrari facere possunt; una Missa tantummodo pro uno quoque die potest in illo ipsis præsentibus licite celebrari. Patet manifeste ex illa indulti clausula: *unam Missam pro unoquoque die.* Cum enim, ut ajunt Jurisperiti, sit *taxativa*, habet vim prohibitionis illius, quod non cadit sub concessione; utque constat ex l. *Scire oportet* ff. *de tut. curat.* quod in uno conceditur in aliis habetur pro denegato Summus quoque Pontifex Clemens XI. sub die 15. Decembris 1703. peculiari edito Decreto, quod deinde Benedictus XIII. in Concilio Romano (*a*) confirmavit, atque ab omnibus observandum præcepit, expresse declaravit, *Regularibus & Sacerdotibus quibuscunque etiam Episcopis in privatis secularium domorum Oratoriis cele-bra-*

(*a*) Tit. XV. cap. 2.

brare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in indulto conceditur, fuerit celebrata, mandans præterea, *ut celebraurus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optime imformare*. Hinc Tamburinus, cui consentiunt Pasqualigo (*a*) Pignatellus (*b*) & P. Gattico (*c*) docet (*d*) peccare mortaliter, *quamvis*, inquit P. Gattico (*e*), contemptus abesset, tam qui una celebrata, alteram Missam in Privato Oratorio celebraret, quam qui eam celebrare faceret. *Etenim*, inquit, *id esset sacrum celebrare in loco inepto* (*f*).

ANIMADVERSIO III.

Necessaria est præsentia personæ, cui privilegium expresse concessum est, ut licite in privato Oratorio Missa celebrari possit. Colligitur ex illis indulti verbis: *in tua præsentia*, sicuti etiam ex fine, propter quem summus Pontifex benigne indulget, ut in privato Oratorio Mis-

(*a*) Tom. I. *de Sacrif. Missæ* q. 635.
(*b*) Tom. VI. *Consult.* 98. n. 67.
(*c*) *De Orat. dom.* cap. 27. n. 2.
(*d*) Opusc. *de Sacrif. Missæ* l. 1. c. 4. n. 19.
(*e*) Loco citato.
(*f*) Loco citato.

Miſſa celebretur. Ait quippe id ab ſe concedi, volens *ſpirituali conſolationi ejus, qui ſupplicem libellum dedit, benigne conſulere*. Cum igitur nullus, ut patet, ſit finis ejuſmodi, ſi abſente perſona privilegiata, Miſſa in privato illius Oratorio celebretur, conſequitur, ejuſdem præſentiam in Oratorio, dum Miſſa in eo celebranda eſt, neceſſario requiri. Si tamen plures fuerint perſonæ, hoc privilegio ſimul in eodem indulto expreſſe decoratæ, arbitrandum non idcirco eſt, eas omnes ſimul præſentes in Oratorio eſſe debere, ut Miſſa licite in illo celebretur. Sufficit enim ut illarum una tunc ibi præſens exiſtat. Unde expreſſe dicitur in indulto, ut omnes, quibus conceditur, & eorum quilibet Miſſam celebrari facere libere, & licite poſſit. Advertendum tamen, ſi, uno dumtaxat præſente ex privilegiatis, Miſſa celebretur, non poſſe aliam, eodem die, aliis præſentibus, in ipſo Oratorio celebrari; cum ſcilicet unius tantum Miſſæ celebratio pro uno quoque die, ut vidimus, in indulto concedatur.

Ani-

Animadversio IV.

Si plures fuerint in eodem indulto expresse privilegiati, eosque in separatis domibus habitare contigerit, possunt singuli, vigore illius indulti, Oratorium in propria domo erigere, in eoque facere, ut Missa celebretur. Tot quippe privilegiis illud æquivalet, quot sunt personæ, quibus proprio nomine in eo nuncupatis, privilegium ipsum concessum est. Neque hinc sequitur, plures Missas, vi ejusdem indulti pro uno quoque die, omnino contra Pontificis mentem, tunc celebrari. Etenim *unitas Missæ*, inquit Cl. P. Gattico, *præscripta ab indulto, quod æque plures principaliter respicit, accommode intelligitur, prout vel simul in una domo, vel in diversis domibus illi habitaverint. Si enim simul in eadem domo omnes habitent, tunc privilegium etiam simul omnes ad modum unius comprehendit; ac proinde pro omnibus illis nonnisi unicum sacrificium in eadem domo offeri poterit. Si autem in diversis domibus seorsim singuli principaliter privilegiati suam solitam ducant habitationem, tunc privilegium pluribus æqui-*

va-

valens suam exerit æquipollentiam ad tot alia privilegia, quod essent necessaria, ut singuli illorum in propria domo singularem Missam celebrari facere possent. (a) Hinc cuidam nobili Romanæ Mulieri, quæ a Viro sejuncta, & in separata domo habitans, petierat a Summo Pontifice Benedicto XIV., supplici dato libello, ut novum privati Oratorii indultum sibi benigne concederetur, putans scilicet, sibi tunc non suffragari, quod una simul cum marito a Clemente XI. obtinuerat, respondit, teste laudato P. Gattico (b) Sapientissimus Pontifex, *quod Oratrix utatur facultate eidem ad formam Brevis concessa, etiamsi a suo Viro moram seorsim trahat.* Superfluum quippe, inquit ille, visum fuerat Sapientissimo Pontifici novum Privilegium concedere, *quoniam*, scilicet, *non carebat suo robore illud, quod antea nobili mulieri elargitum fuerat, quamvis in altera domo seorsim ab habitatione mariti moraretur* (c).

Ani-

(a) *De Orator. Dom.* cap. 21. n. 29.
(b) Ibidem n. 30.
(c) Loco citato.

ANIMADVERSIO V.

Non duo porro, ſed unum dumtaxat pro unaquaque domo approbari debet Oratorium, in quo Miſſa celebretur. *Hanc quippe unitatem*, ait laudatus Vir Cl., *aperte inſinuant privilegii verba quæ numero ſingulari* Oratorium *fere ſemper deſignabant (a)*. Refert quoque *(b)* S. Congreg. Card. ſuper Negotia Epiſcoporum, & Regularium, cum ex ſpeciali Pontificia delegatione licentiam dediſſet celebrandi Miſſam in domo cujuſdam Baroniſſæ expreſſe prohibuiſſe, ne duo ſimul Oratoria in eadem domo ad hunc effectum approbarentur. Si tamen plures principaliter privilegiati in diverſis partibus ejuſdem domus habitaverint, ita ut ſinguli diſtinctam familiam conſtituant, propriiſque expenſis vivant, affirmant Paſqualigo *(c)* & Pignatellus *(d)*, quibus etiam P. Gattico aperte favet *(e)* poſſe eorum quemlibet in ſua do-

(*a*) Ibid. cap. 24. n. 13.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Tom. I. *de Sacrif. Miſſæ* q. 631. n. 6.
(*d*) Tom. VI. *Conſul.* 98. n. 61.
(*e*) *De Orator. dom.* c. 22. n. 26.

domus parte Oratorium erigere, in quo Missa celebretur, quin propterea vel doctrinæ, quam modo retulimus, de Oratorii unitate, in eadem domo, vel illis indulti verbis: *dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit*, eos contraire, dici possit. Est autem ratio, quia illæ partes ejusdem domus perinde in jure se habent, ac si essent plures domus. *Si unica domus*, inquit P. Gattico, *pariete intermedio in duas partes dividatur, aperte* l. Si quis duo §. Si quis partem: ff. Communia prædii. *pro duabus accipi posse declaratur his verbis*: Si dominus pariete medio ædificato unam domum in duas diviserit, ut plerique faciunt.....pro duabus domibus accipi debet; *multo igitur magis illa palatia pro duplici, imo quadruplici sæpe domo accipi possunt, quæ licet unico ambitu continuo concludantur; tamen vere non tam unam partem alteri contiguam habent, quam potius plura simul sibi cohærentia palatia distinctis tectis, scalis, aulis, atriis, cortilibus, januisque videantur* (a). Concludit propterea Cl. Auctor minime dubitandum esse, *quin diversæ familiæ in*

(a) Loco citato.

segregatis palatiorum hujusmodi partibus habitantes simul exercitio Apostolici indulti frui possint (*a*), sive ut dixerat paulo antea, quin *duo privilegiati in segregatis ejusdem domus partibus habitantes possint simul ambo libere suum privilegium exercere* (*b*). Neque credendum huic doctrinæ officere, partes illas ejusdem domus ita communicare inter sese, ut ex una in aliam liber aditus pateat. Etenim ut ex cap. unico *de consecrat. Ecclesiæ, vel Altaris* in VI. Decret. aperte constat, *non unum, sed plura cæmeteria esse noscuntur, quæ quamvis sibi coherentia, pariete tamen medio sejunguntur. Ideoque violato eorum altero alterum* (*licet de uno ad aliud per* portam intermediam *habeatur* accessus) *non propter hoc reputabitur violatum*: Igitur ut hinc colligit Pasqualigo, & Doctores omnes fatentur, *si porta in muro divisorio cæmeteriorum non tollit eorumdem pluralitatem, nec etiam tollet in muro intermedio dividente domos* (*c*).

ANI-

(*a*) Ibidem n. 27.
(*b*) Ibidem n. 26.
(*c*) Loco citato n. 8.

Animadversio VI.

Quæ modo dicta sunt, valent etiam loquendo de habitantibus in domo, *quæ*, ut ait laudatus P. Gattico, *licet amplitudine duabus æquipolleat, tamen sub eodem tecto locum habitationis singulorum continet, nec per diversas januas, per cortile diversum, scalasque distinctas singulis habitatoribus concedit accessum; sed tota æquivalentia a copia cubiculorum in parte superiore, & inferiore palatii tantummodo sumitur, sicut frequentius in amplis domibus contingit* (*a*). Et ii nempe, qui in hujuscemodi partibus ejusdem domus habitant, frui licite possunt Apostolico privati Oratorii Indulto, adeo nimirum ut valeant singuli illud in proprio *appartamento* construere, in eoque facere, ut Missa celebretur. Etenim, ut docet Pasqualigo post alios, quos cum quadam Romanæ Rotæ Decisione coram Merlino, ipse citat, *si domus pluribus solariis constet, nempe superius, & inferius, & in ipsis constituantur diversæ habitationes, in quibus habitent diversæ familiæ erunt diversæ domus*

(*a*) Cap. citato n. 28.

juxta diversitatem solariorum, vulgo appartamenti di sopra e di sotto (*a*). Idipsum porro tradit etiam Pignatellus (*b*), nec non Cl. P. Gattico, qui sancte affirmat fore, ut non statim recessisset a sententia eorum, qui hac in re contrarium sentiunt, nisi prius novisset, *quod in urbe frequenter nobilibus habitantibus in similibus segregatis palatiorum partibus inferioribus, vel superioribus absque ulla difficultate simul ambobus privilegiatis exercitium Apostolici Privilegii conceditur* (*c*). Addit etiam ad id confirmandum, se vidisse in Regestis Emi Vicarii nonnulla indulta concessa aliquibus nobilibus Viris, ac Mulieribus Romanis, *ut in Oratorio privato* appartamenti *ab* appartamento *alterius privilegiati omnino separati Missæ celebrari possent* (*d*).

ANIMADVERSIO VII.

Verum enimvero, loquendo de Privilegiatis, habitantibus in diversis seu partibus, seu *appartamenti* ejusdem domus, neces-

(*a*) Quæst. laudata n. 12.
(*b*) T. VI. Consult. 98. n. 62.
(*c*) Loco citato.
(*d*) Ibidem.

necesse est, ut moneantur omnes, uti eos non posse privilegio hujusmodi in Oratorio, quod constructum sit in aula, seu parte domus, ipsis omnibus communi. Patet aperte, quemadmodum observant Pasqualigo (*a*), Pignatellus (*b*), & P. Gattico (*c*), ex illis Indulti verbis, *in privato domus tuæ solitæ habitationis*, vel absolute sicuti in quibusdam Indultis legitur, *domus tuæ Oratorio*. *Cum enim*, inquit Pasqualigo, *domus sit divisa in plures portiones, vulgo* appartamenti, *atque adeo in plures domos, solum illa portio, seu* appartamento, *quæ importat locum habitationis, dicitur* domus habitantis, *& de ipsa solum verificatur clausula:* DOMUS TUÆ. *Oratorium autem cum sit in loco, qui est communis omnibus habitationibus, non potest dici, quod sit magis unius, quam alterius habitationis* (*d*). Unde absolute dicendum censet, *nullum privilegiatum de familiis habitantibus in domo sic divisa, uti posse tali Oratorio; cum ad nullius habitationem pertineat; & proinde illud esse veluti* Oratorium extraneum, *non autem* de

(*a*) Tom. I. *de Sacrif. Missæ* q. 632.
(*b*) Tom. VI. *Consult.* 98. n. 63. 64.
(*c*) *De Orator. Dom.* cap. 22. n. 29.
(*d*) Loco citato n. 3.

de quo verificetur clausula DOMUS TUÆ, *sicut etiam* SOLITÆ HABITATIONIS; *neque enim continetur intra terminos habitationis hujus, vel illius familiæ (a)*. Manet igitur, nullam ex illis familiis Oratorio hujusmodi licite uti posse. Haud dissimili porro ratione

ANIMADVERSIO VIII.

Monendi quoque sunt iidem omnes, neminem ipsorum ad sui Privilegii executionem uti licite posse Oratorio, quod in alterius *appartamento* constructum extiterit. Cum enim, ut patet ex dictis, illud Oratorium, sit extra *domum habitationis* eorumdem, Missam celebrari in eo facere nequaquam possunt, quin eam extra propriam domum celebrari faciant, ac proinde quin contra Indultum sibi concessum aperte peccent.

ANIMADVERSIO IX.

Si quis eam domus suæ partem, in qua privatum Oratorium situm est, alteri locaverit, nequit ad executionem sui

(a) Ibidem n. 4.

ſui Privilegii eo amplius uti. Etenim, ut veriſſime habet Paſqualigo, illud Oratorium *non eſt Oratorium domus ſolitæ* habitationis *locatoris, ſed eſt domus ſolitæ habitationis conductoris; & ideo privileginm non habet locum, quia verba privilegii non habent locum.* (*a*) Perinde porro eſt, teſte eodem viro doctiſſimo, ſive in Indulto, vi cujus locator privati Oratorii Privilegio gaudet, dicat Pontifex: *in Oratorio domus tuæ ſolitæ* HABITATIONIS, ſive abſolute: *in Oratorio domus tuæ.* Nam, inquit ille, *verba domus tuæ important* domum habitationis, *& de mente Pontificis ſatis conſtat, quod concedat pro Oratorio domus habitationis dum dicit:* Domus tuæ (*b*).

ANIMADVERSIO X.

Si quis ex familia petat, obtineatque Privilegium privati Oratorii, poſtquam alteri ex eadem familia ſimile Privilegium conceſſum jam fuerat, nequit ille Privilegium, poſteriori loco obtentum executioni mandare, eoque uti, quamdiu

(*a*) *De Sacrif. Miſſæ* q. 633. n. 2.
(*b*) bidem n. 3.

primum in suo robore fuerit. Nulliter enim ille impetravit, ut observat Tamburinus (*a*), & Doctores omnes fatentur, stante illa clausula Indulti: *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit*. Siquidem, inquit Pasqualigo cum aliis, quos ipse citat, *Dictio*, dummodo, *reddit gratiam conditionalem, quia adjecta est dispositioni.* . . .. & ideo *non subsistente conditione, nec etiam subsistit concessio* (*b*). Nisi ergo, qui primo Privilegium obtinuit, juri suo cesserit, nequit ille, qui simile Indultum posteriori loco impetravit, ipso licite uti, quamdiu eamdem cum illo familiam constituerit. Verum cum libere, quisquis cedere juri suo possit, *hinc*, inquit P. Gattico, *cum prior sponte in gratiam alterius habitatoris ab exercitio privilegii cessaverit, tunc liberum erit alteri suum exequi; quoniam undecunque oriatur cessatio præcedentis licentiæ, semper implebitur conditio exigita in Apostolico Indulto, ejusque forma integra perseverabit, dum nonnisi unica licentia celebrandi in eadem domo tribuatur* (*c*).

Ne-

(*a*) *Opusc. de Sacrif. Missæ* l. 1. c. 4. §. 4 n. 20.
(*c*) T. I. *de Sacrif. Missæ* q. 631. n. 1.
(*b*) *De Orator. dom.* cap. 55. n. 29.

Neque huic officit illa juris regula: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit* (a). Quandoquidem, ut observat Pasqualigo, *cum concessio privilegii hujusmodi respiciat latitudinem temporis, in cujus parte adest conditio, sub qua conceditur* (nempe similem licentiam in eadem domo, sua familia non durare) *& in alia parte non adest, ab initio, quando fit; pro aliqua parte temporis, pro qua fit, non est valida, & pro aliqua est valida* (b). Observandum tamen attente est, quod notat laudatus P. Gattico, videlicet *spontaneam renunciationem* (quæ nempe fit ab eo, qui primo privilegium obtinuit) *pro certis tantum diebus restringi non posse, sed* absolutam, *&* generalem, *absque ulla dierum reservatione esse debere*. Etenim, inquit Auctor Cl., *nisi renuntietur exercitio privilegii sine ulla exceptione dierum, nunquam vere prior licentia Sacrificium offerendi in eadem domo cessasse diceretur; quoniam non minus illa est necessaria pro Missa quotidiana in Oratorio privato celebranda, quam requiratur, ut festivis tantummodo diebus, aut etiam*

(a) *Regula* 18.
(b) T. I. *de Sacrif. Missæ* q. 634. n. 5.

etiam unico anni die in eodem Oratorio Missa celebretur (*a*).

Animadversio XI.

Quamvis Privilegium domestici Oratorii sit personale, ac proinde ut habet *VII. Juris regula in VI. Decret.*, sequatur personam, cui conceditur, & cum illa extinguatur, in executione tamen hujusmodi Privilegii non nulla animadvertenda sunt, quæ *locum*, atque *tempus* respiciunt. Quod igitur attinet ad *locum*, advertendum est primo, *Privilegiatum non in quacunque domo, quam ipse Dominii jure possideat, sed in ea tantum in qua habitare solet, eo uti licite posse*. Ita Doctores omnes, & patet manifeste ex illa Indulti clausula: *Ut in privatæ domus tuæ solitæ habitationis Oratorio: quæ cum sit taxativa, excludit*, ut ait Pasqualigo, *omnem aliam domum, quæ non sit solita habitatio privilegiati* (*a*). Quid tamen requiratur, ut domus aliqua vere sit, recteque dici possit *solitæ habitationis*, ex verbis ipsius In-

(*a*) Loco citato.
(*b*) Tom. I. *de Sacrif. Missæ* q. 630. n. 4.

Indulto, ut optime observat P. Gattico, (*a*) nequaquam colligitur. Verum enim vero, cum *solitum* vulgo dicatur, non quod semper, sed quod ut plurimum fit, relinquitur necessariam non esse continuam, & nunquam interruptam habitationem, ut *domus solitæ habitationis* vere ipsa dici possit, sed plane sufficere, ut pro majore anni parte domus ipsa habitetur. Quia tamen prætermitti modo solet in Indultis particula *solitæ*, & tantum dicitur, *in privato domus tuæ habitationis Oratorio;* propterea arbitror cum laudato P. Gattico, *hoc unice verba illa resonare, ut domus aliis usibus non sit destinata, quam ad privilegiati habitationem, quodque aliquo tempore reapse ab illo habitetur. Ita*, inquit Cl. Auctor, *quadrabit Privilegii expositio cum communi consuetudine, quæ pro interpretatione firmanda aptum suggerit argumentum. Præterea* (ita ille prosequitur) *dum* Tò solitæ *non apponitur, sed nude exprimitur in Apostolico Indulto* domus habitationis *ista duo omnino sufficient. Primo, ut domus sive in Civitate, sive Rure nemini locetur, meræque habitationi privilegiati vel actu deser-*

(*a*) *De Orat. dom.* cap. 22. n. 2.

serviat, vel parata existat. Secundo, *ut in illa domo aliquo anni tempore privilegiatus commoretur, quin requiratur ad executionem Indulti diutius ibi degere. Sicut enim*, inquit, *Viri nobiles diu magis in Civitate, quam Rure habitare solent; ita non tam raro evenit, ut illi, qui jurisdictionem temporalem exercent, in loco suæ jurisdictionis longam moram protrahant, & brevi spatio temporis in Civitate morentur. Quod ergo pro illis valet vigore Privilegii concessi pro domo habitationis ruralis, valere æquum est etiam pro omnibus, quibus privilegium* pro domibus habitationis in Civitate, & Diœcesi *sine particula* solitæ *longam moram significante conceditur (a)*. Hæc ille, qui etiam addit, habentem Privilegium Oratorii privati tam in Civitate, quam Ruri, eo licite uti posse, *dum cursim aliquando Rus petit post biduum regressurus ad Civitatem . . . Dummodo revera in illa rurali domo consuescat quotannis privilegiatus habitare, seu tantam moram facere, quanta prudentum judicio ad conservandam habitationis denominationem sufficiat. Necesse est quippe*, inquit Vir Cl., *ad Indulti rigorem* eu-

(*a*) Cap. laudato n. 9., & 10.

custodiendum salvari habitationis rationem, quæ nullatenus unius, alteriusve diei, aut hebdomadæ mora obtinetur. Valde enim minimum apparet istud temporis spatium ad denominationem domus habitationis, nisi sæpius in anno domus illa brevibus his morulis incoleretur, ut simul computati omnes hi dies sufficientem temporis mensuram pro habitatione denominanda constituerent (*a*). Censet tamen *spatium unius mensis sufficere ad similium Indultorum rigorem conservandum* (*b*): quod notatum velim, ne quid remaneat, quod facessere alicui negotium possit. Perinde porro est ad effectum, de quo agimus, sive domus, in qua habitat privilegiatus, conducta ab eo sit, sive ad illum dominii jure pertineat. Sicuti enim hoc alterum non requiritur, *ut domus habitationis* illius censeri jure possit, ita primum non impedit, quominus *domus habitationis* ejusdem vere ipsa dicatur.

ANI-

(*a*) Ibidem n. 11.
(*b*) Ibidem n. 12.

ANIMADVERSIO XII.

Alterum, quod itidem ad *locum* ſpectans attendere debent Privilegiati, eſt limitatio Indulti ad Diœceſim, quæ in eodem quoque diſtincte exprimitur. Poſſe privilegiatum uti privilegio domeſtici Oratorii tam intra, quam extra propriam Diœceſim, ſi eam mutare ipſi contigerit, docent Paſqualigo (*a*), aliique plurimi, quos ipſe recenſet (*b*), contendentes, nomen *Diœceſis*, quod ponitur in Indulto, in illo non ſtare *taxative*, ſed tantum *demonſtrative*, ac proinde Privilegium ipſum *retinere*, ut ille ait, *ſuam liberam Privilegii perſonalis naturam, & ſequi perſonam in quocunque loco* (*c*). At univerſim id non eſſe verum, docet Cl. P. Gattico, cui omnino ſtandum puto. *Advertendum enim eſt*, inquit Vir Cl., *quod non ſolum* [Diœceſis, *aut* Civitatis *nomen applicatur perſonæ* Tibi Diœceſis N.], *verum etiam Oratoriis ipſis* : in privato domus tuæ habitationis in Civitate

(*a*) T. I. *de Sacrif. Miſſæ* q. 629.
(*b*) Ibidem n. 3.
(*c*) Ibidem n. 5.



tate N. (*aliquando additur* & Diœcesi N.) existente. *Si unice* Diœcesis *nomen aptaretur* personæ, *evidenter appareret eo tantummodo fine apponi, ut hinc certa nota privilegiatus a reliquis omnibus discerneretur, qui forte in aliis Diœcesibus simili nomine, titulo, aut nobilitatis dignitate insigniuntur. At nomen* Diœcesis *applicatum Oratoriis gerere nequit vices demonstrantis* Personam, *sed solum potest determinare* locum, *in quo Oratoria capacia Indulti debent esse constructa. Obvius ipse sensus illorum verborum apertissime limitationem Privilegii pro Oratoriis intra Diœcesim exstructis ostendit. Imo alius esse non potest: nam sicut* diœcesis *nomen aptatum* personæ *determinat personam Diœcesanam, ita nomen* Diœcesis *aptatum Oratoriis, in quibus Sacrificium celebrari permittitur, Oratoria in Diœcesi posita ad gratiam exercendam determinat. Insuper par penitus est ratio quantum* ad limitandum locum pertinet, exigere, *ut Oratorium in domo* propriæ habitationis *erigatur, quam præscribere, ut in Civitate, vel Diœcesi N. illud ædificari debeat; cum non minus illa, quam ista conditio Oratorii locum determinet. Quare sicut propter priorem limi-*

mitationem ab Indulto exigitam Oratorium in domo propriæ habitationis erigere oportet, *pariter necesse erit ex aliis verbis Indulti*, *ut Oratorium intra fines* Civitatis N. *extruatur*, *si Indultum ad Oratoria existentia in illa Civitate respicit*; *vel saltem intra limites* Diœcesis N. *erigatur*, *si Indultum ad Oratoria in Diœcesi* N. *expresse respexerit (a)*: ita laudatus Cl. Auctor, cui ut dixi omnino standum censeo, præsertim cum, ut ipse quoque observat (*b*), id *praxi*, & *consuetudine* muniatur, ut *proinde nihil magis ad confirmationem desiderari oporteat*.

ANIMADVERSIO XIII.

Ad tempus, quod spectat, advertendum est, nonnullos anni dies in Indulto excipi, in quibus, ut ex ipso Indulto manifeste apparet, haudquaquam licet Missam in privato Oratorio celebrare. Peccati autem reum esse, qui secus faceret, neminem prorsus futurum puto, qui dubitet, præsertim post decretum CLEMENTIS XI. cujus superiori loco mentio-

(*a*) *De Orator. Dom.* cap. 22. n. 20.
(*b*) Ibidem n. 23.

tionem feci. In eo ſiquidem expreſſe declarat Pontifex, *in privatis Oratoriis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcumque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcunque Sacerdotibus, etiam ſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare diebus in Indulto exceptis*. Certe ſi quis diebus illis in Oratorio privato ſacrum faceret, peccaret perinde omnino, ac ſi celebraret in loco minime approbato. *Nam*, inquit Paſqualigo *(a)*, & cum eo Pignatellus *(b) eo ipſo, quod excipiuntur hi dies, tamquam loca privata remanent inhabilia, ne poſſit in ipſis celebrari*; & ideo ut iidem docent *(c) neque ex cauſa infirmitatis, vel ex quacunque alia, quæ non permittat egreſſum e domo, poterit in privatis Oratoriis etiam per regulares celebrari in feſtis diebus exceptis*. Dies porro excepti ſunt *dies Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, aliique*, ut dicitur in Indul-

E to,

(*a*) Tom. I. *de Sacrif. Miſſæ* q. 641. n. 6.
(*b*) T. VI. *Conſult.* 98. n. 81.
(*c*) Locis citatis.

to, *solemniores*. Quod attinet ad dies *Paschatis Resurrectionis*, & *Pentecostes*, sententia plurimorum est, quos citat, & sequitur Pasqualigo (*a*), & cum eo Pignatellus (*b*) & Clericatus (*c*), primum dumtaxat diem tam *Paschatis*, quam *Pentecostes* in Indulto intelligi, ita nempe, ut duobus reliquis liceat Missam in privato Oratorio celebrare. Huic sententiæ subscribit etiam Cl. P. Gattico (*d*), postquam vidit a doctissimis quoque viris Card. Petra, & P. Merati illam admitti. Dubitandum non est igitur, quin hæc sententia in praxi sit tuta. Quod vero spectat ad dies alios *solemniores*, qui præter diem *Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi*, primumque, ut diximus, tam *Paschatis*, quam *Pentecostes*, in Indulto excipiuntur, plane indubia modo res est, eos esse *Epiphaniam*, *feriam V. in cœna Domini*, *Annunciationem B. Mariæ Virginis*, *Ascensionem D. N. Jesu Christi*, *Assumptionem ejusdem B. Mariæ Virginis*, *diem festum SS. Apostolorum Petri*, *& Pauli*, *&*

om-

(*a*) Tom. I. *de Sacrif. Missæ* q. 639. n. 2.
(*b*) Tom. VI. *Consult.* 98. n. 74.
(*c*) *De Euch* decis. 8. §. 13. n. 46.
(*d*) *De Orator. Dom.* cap. 27. n. 12.

omnium Sanctorum . Ita enim, ut refert laudatus P. Gattico (*a*), declaravit die 17. Novembris anno 1607. Sac. Rituum Congregatio hac ipsa super re ab Archiepiscopo Caliguritano requisita. Porro quamvis Doctores ferme omnes, quos inter habetur Cl. P. Merati, dum illius Decreti mentionem faciunt, festum *Dominicæ Ascensionis* reticeant; testatur tamen P. Gattico (*b*) se contulisse supra dictum Decretum cum authenticis Regestis memoratæ Sac. Congregationis, & in lib. Decretorum anni 1607. fol. 323., illum etiam diem inter exceptos legisse; ut proinde minime dubitandum sit, quominus eo quoque die in privatis Oratoriis celebrare haud liceat. Monet quoque idem Vir Cl. (*c*) cum Patre Merati, si contingat transferri post Dominicam in Albis festum *Annunciationis B. M. V.*, minime posse eo die Missam in privatis Oratoriis celebrari propterea nimirum, quia, ut ille ait, *caussa excipiendæ illius festivitatis non pendeat determinate a die* 25. *Mensis Martii, sed unice respicit diem,*

(*a*) Cap. laudato n. 11.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Ibidem n. 13.

in quo ſolemniter tam ſublime myſterium ab Eccleſia recolitur, ita ut in quemcumque diem transferatur Solemnitas, ſimul etiam neceſſitas ſatisfaciendi Eccleſiaſtico præcepto auditionis Miſſæ in Eccleſia publica transferatur (*a*). Illi quoque omnes, quibus tres tantum dies, ſcilicet *Nativitatis* Domini Noſtri Jeſu Chriſti, *Paſchæ*, & *Pentecoſtes* in Indulto excipiuntur, animadvertant neceſſe eſt, non propterea celebrari facere eos poſſe Miſſam in privato domus ſuæ Oratorio feria V. Majoris hebdomadæ, feria VI. ejuſdem, & Sabbato ſancto. Id enim expreſſe prohibuit Summus Pontifex Clemens XI., ut patet ex Decreto, quod illius juſſu, die 3. Aprilis anno 1719., evulgavit Eñus Urbis Vicarius. Ita ſiquidem illud ſe habet: *La Santità di Noſtro Signore, inerendo ai replicati Decreti della Sagra Congregazione de' Riti, ſtrettamente incarica a tutti i Reverendi Sacerdoti di non celebrare Meſſe private non ſolo nel Venerdì, ma anche nel Giovedì, e Sabbato della Settimana Santa tanto negli Oratorj privati, che nelle Chieſe pubbliche Secolari, e Regolari in qualſivoglia modo privilegiate, non oſtante*

(*a*) Ibidem.

te qualsivoglia privilegio, o consuetudine in contrario. Quod demum spectat ad dies festos Patronorum Civitatis, videtur, eos haudquaquam inter illos comprehendi, in quibus minime licet Missam in privatis Oratoriis celebrare. Horum quippe nulla mentio fit in Decreto, quo Sacra Rituum Congregatio, ut vidimus, declaravit festos illos solemniores, qui in Apostolico Indulto ad effectum hujusmodi excipiuntur. Imo referente P. Gattico (*a*), cum quidam anno *1699*. Sac. Congregationem Concilii interrogassent, an Regularibus liceret Missam celebrare in Oratoriis privatæ domus *diebus in Indulto exceptis, vel Synodali Constitutione Diœcesana*, respondit die 30. Maii, *negative pro diebus exceptis in Indulto*; sed nihil omnino pro diebus exceptis a Diœcesana Synodali Constitutione, licet etiam de illis expresse inquireretur. Propterea cum certum sit, ut recte observat laudatus Vir Cl., festum Patroni inter ea maxime esse, quæ in Diœcesana Synodo præcipue colenda præcipi possunt, videtur, reprehendi eos non debere, qui privati Oratorii privi-

(*a*) *De Orator. Dom.* c. 27. n. 10.

legio decorati, *etiam in solemnitate Patroni principalis Diœcesis vellent de Apostolica Indulgentia frui*, quod scilicet, ut ille ait, *dum certo non constat exceptio, nemo cogatur jure suo carere* (*a*). Optandum tamen, ut qui gaudent Indulto privati Oratorii, non nisi raro admodum ipso uterentur, *ne* scilicet, sicut olim etiam adverterat S. Carolus, *distracti homines illa commoditate Ecclesiam Dei minus frequentent, quod exemplo etiam noceat aliis* (*b*).

Animadversio XIV.

Unum porro restat, a me, antequam manu de tabula moveam, non omnino negligendum; videlicet cum caussa infirmitatis domesticæ Missæ Indultum petitur, infirmitatem ipsam hujusmodi revera esse debere, ut valde grave, molestumque propter eam sit, ad publicam Ecclesiam pro Missa audienda accedere. Ut enim recte monet, optimeque observat P. Gattico, *ubi Romani Pontifices caussa* infirmitatis *Missas in domesticis Sacellis concedunt,*

(*a*) Loco citato.
(*b*) Concil. 1. Prov. tit. *De iis, quæ pertin. ad celeb. Missæ.*

dunt, *eam* infirmitatem *supponunt*, ob quam valde moleſtum, ac grave *foret Oratoribus*, *ſi propter Sacrificium ſemper ad publicas Eccleſias accedere cogerentur: Unde quemadmodum diſpenſatio, quæ petitur per ſe expoſcit gravem cauſſam, ita ſupponi debet ex infirmitate non modicum incommodum ſecuturum Oratorii, ut hinc inter diſpenſationem, & cauſſam moventem proportio intercedat. Sufficit advertere ad verba ipſa, quæ ſolent adhiberi in Papali Indulto ob infirmitatem conceſſo, ut inde appareat, qualis a Pontifice infirmitas ſupponatur; eam videlicet ſupponit, ob quam ad Eccleſiam accedere nequeunt. Imo aliquando infirmitates ipſas exprimunt, quibus revera acceſſus ad Eccleſias difficillimus foret Oratoribus, uti in Viris valde Senibus, & podagricis, & in Fœminis prægnantibus contingit. Cæterum* (concludit Vir Cl.) *quis credat, titulo infirmitatis velle Pontificem Miſſas domeſticas aliis indulgere, qui nihil obſtante levi aliquo valetudinis incommodo, quo forte laborant, nullatenus prohibentur circum curſare, & quocunque voluerint ſe conferre* (*a*)? Si quis autem quærat, an qui ex cauſa infirmitatis gau-

(*a*) De Orato. dom. cap. 21. n. 7.

det privilegio Oratorii Privati, nulla penitus die excepta, tres Missas, die Nativitatis Domini celebrari solitas, in illo quoque tunc celebrari ab eodem utique Sacerdote facere licite possit: respondeo, posse. Proposito siquidem dubio a sapientissimo Pontifice BENEDICTO XIV., dum, in minoribus constitutus, erat a Secretis Sac. Congreg. Concilii: *An in Oratorio Privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede Apostolica conceditur, ut Missa die Nativitatis Domini celebretur, tres Missæ ab eodem Sacerdote celebrari possint, vel unica tantum Missa sit celebranda*, S. Congregatio die 20. Jan. anno 1725., ut ipse refert in aureo suo opere *de sacrificio Missæ* (a) respondit *ad primam dubii partem affirmative, & ad secundum negative*. Observandum tamen est, in privatis Oratoriis primam harum Missarum non posse, sine speciali Apostolica dispensatione, media nocte, ut in publicis Ecclesiis fieri solet, celebrari.

CA-

(a) Sect. II. c. I. n. 3.

CAPUT TERTIUM.

De iis, qui assistendo Missæ in privato Oratorio diebus festis celebratæ, præceptum de illa in Ecclesia tunc audienda adimplent.

SAtis, ut arbitror, de iis diximus præcedenti capite, qui, vigore Apostolici Privilegii, Missam in privato domus suæ Oratorio celebrari facere licite possunt. Restat modo, ut de iis quoque dicamus, qui, Missam in privato Oratorio diebus festis audiendo, præceptum illud adimplent, quo fideles singuli, nisi legitime impediti fuerint, tanto sacrificio in publica Ecclesia quovis die festo de præcepto assistere tenentur. Cuique enim explorata modo res est, licere quidem omnibus Missam audire, ubicunque celebrata ipsa fuerit; At non omnes, qui Missæ in privato Oratorio diebus festis intersunt, præcepto de illa in publica Ecclesia tunc audienda satisfacere. Proposito siquidem dubio: *An quilibet alius Secularis, aut Clericus, licet non familiaris prædicti Domini, qui prædicto Apo-*

ſtolico Privilegio (privati Oratorii) *gaudeat prædicto præcepto Eccleſiæ* (de Miſſa audienda in Eccleſia diebus feſtis) *ſatisfaciat in prædicto Oratorio, vel caſu præſens, vel conſulto accedens Miſſam audiendo*: Sacra Concilii Congregatio die 21. Maii anno 1672., ut refert P. Gattico (*a*), ad dubium hujuſmodi reſpondit *negative*. Summus quoque Pontifex Clemens XI. in Decreto, quod ſupra meminimus, aperte declarat, *Perſonas quaſcumque* (præter eas ſcilicet, quibus ex Apoſtolico Indulto id conceſſum eſt) *dictas Miſſas* (quæ nempe in privatis domorum Oratoriis celebrantur) *audientes nullatenus præcepto Eccleſiæ ſatisfacere*. Ubi, inquit P. Reinfeſtuel, ſpecialiter notanda ſunt verba; PERSONAS QUASCUNQUE, & NULLATENUS. *Per hæc enim*, ait ille, *omnis Doctorum contra ſentientium conatus irritus apparet*; & qui *etiam de his verbis Decreti adhuc dubitaret, nodum in ſcirpo inique quærere, & textum contra mentem Legislatoris injuſte torquere videretur*; unde concludit, *caute legendos, & non amplius ſequendos eſſe Doctores contrarium do-*

cen-

(*a*) De Orator. dom. c. 26. n. 5.

centes (*a*). Res igitur cum ita sit, videndum, quinam, Missam in privato Oratorio diebus festis assistendo, Ecclesiæ præcepto, vigore Apostolici Indulti, satisfaciant.

I.

Primo itaque nemini dubium est, quominus ii omnes præceptum illud adimpleant, qui Missam in privato domus suæ Oratorio celebrari facere, vigore Apostolici Privilegii, tunc licite possunt. Ut præteream quippe, eo potissimum fine postulari indultum hujusmodi, ut qui, illud postulant, ab obligatione audiendi Missam in publica Ecclesia diebus festis de præcepto liberentur; manifeste apparet ex ipsiusmet indulti verbis, mentem esse Pontificis, ut quibus licentiam tribuit faciendi celebrare Missam in privato propriæ domus Oratorio, præceptum quoque de illa audienda diebus festis in Ecclesia adimpleant, si illi Missæ tunc ipsi intersint, quæ in privato ipsorum Oratorio celebratur. Etenim loquens de familiaribus, eos quoque ab illa obligatio-

(*a*) In III. Decret. tit. 4. n. 18.

tione liberat Pontifex, qui ipſorum ſervitio, tempore Miſſæ, actu ſunt neceſſarii. Si autem familiares hujuſmodi ab illa obligatione liberi ſunt, quis negabit, ab eadem obligatione illos quoque eſſe liberos, quorum gratia dumtaxat familiares ipſi ex Apoſtolico Indulto ab ea liberantur?

II.

Secundo: Horum quoque *nati*, *conſanguinei*, *& affines* in eadem domo inſimul cum illis habitantes, præceptum de audienda Miſſa in Eccleſia diebus feſtis adimplent, ſi una ſimul cum illis eidem in domeſtico Oratorio tunc & ipſi aſſiſtant. Patet ex illis verbis Apoſtolici Indulti: *Volumus, quod nati, conſanguinei, & affines ſupradicti* (qui nempe cum principaliter privilegiatis habitant in eadem domo) *prædictam unicam Miſſam vobis præſentibus tantummodo audire .... valeant*. Certum enim eſt, eam Miſſæ auditionem hoc loco intelligi, per quam præceptum de illa in Eccleſia diebus feſtis audienda impletur; cum ſcilicet, ut monui initio hujus capitis, nemini ſit

pro-

prohibitum, Missæ, ubicumque ea dicatur, assistere; quamvis concessum non omnibus sit, Ecclesiasticum præceptum de illa diebus festis audienda ubique locorum implere. Ceterum hunc esse illorum verborum sensum, atque hinc natos, consanguineos, & affines principaliter privilegiati de Apostolico Indulto ad effectum, de quo agimus, *participare*, evincitur luculentissime ex Decreto, quo, ut superiori loco visum est, sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. declaravit, Missam in privatis Oratoriis celebrari non posse, *quando eidem Missæ* actu *non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est*. In eo siquidem expresse declaratur, filiis, consanguineis, & affinibus, in Brevi memoratis, *nil aliud per ejusmodi Brevia concedi* quamquod unusquisque eorum..... *assistens Missæ, quæ celebratur in Oratorio privato in præsentia alicujus ex personis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus festis de præcepto.*

ANI-

Animadversio I.

Natorum, nomine qui in Indulto ad participandum de privilegio, memorantur, veniunt filii non tantum, qui nati jam ſunt, verum etiam, qui poſt obtentum Indultum privilegiato naſcentur. Cum enim *natus* pro *naſcituro*, ut obſervat Barboſa (*a*), aliquando accipiatur, *hinc cenſeo abſque immoderate amplificationis vitio*, inquit P. Gattico, *comprehendi ſub nomine* Natorum *in Papali Indulto Filios*, *Filiaſque etiam poſt Indultum genitos. Nam hanc extenſionem non tam* Natorum *vocabulum admittit*, *quam praxis confirmat* (*b*). Quoad Filios vero *Spurios*, & *Naturales* negat idem Vir Cl., eos de Apoſtolico privilegio participare, quoad uſque vel per ſubſequens matrimonium, vel Principis auctoritate legitimati non fuerint, quia ſcilicet, inquit, *magis obvius ſenſus illius nominis* (Natorum) *eos tantum præſefert*, *qui per legitimum matrimonium ſunt geniti. Si tamen* (pergit ille) *per ſubſequens matrimonium*, *vel a Prin-*

(*a*) Appell. 159.
(*b*) *De Orat. dom.* cap. 25. n. 4.

Principis authoritate legitimarentur, sicut tunc evadunt legitimi; ita nihil illis deest, ut in numero cæterorum Natorum computentur, quantum sufficit ad partecipandum de paternis Privilegiis. Quoties autem legitimi non evaserint, sicut vilis conditionis homines reputantur, ita nimis, ac proinde contra mentem Pontificis vilesceret Indultum Missarum domesticarum, si ad eosdem flecteretur (a). Addit autem Cl. Auctor, repertum ab se fuisse in Regestis S. Congreg. Concilii, *cuidam illegitimo specialibus ex causis Privilegium hujusmodi fuisse concessum*, ea in illo expressa conditione, *propter quam fuerat singularis facta dispensatio* (b). Censet tamen Pasqualigo (c), cui Pignatellus consentit (d), filios spurios, & illegitimos, si ex certo patre, de quo constet, nati sint, haberi etiam in jure Canonico pro consanguineis, & ideo de privigio domestici Oratorii ex hoc titulo participare. Ad filios vero adoptivos quod spectat, videtur negari non posse, quominus de Apostolico privati Oratorii privi-

(a) Loco citato.
(b) Ibidem.
(c) T. I. *de Sacrif. Missæ* q. 654. n. 1.
(d) Tom. VI. *Consult.* 98. n. 105.

vilegio ipsi quoque, durante adoptione, participent. *Etenim*, inquit laudatus P. Gattico, *quamvis nihil clarum ex illius verbis eruatur, locum tamen habere potest* epikeja, *maxime cum verisimile non videatur, quod Pontifex exclusum intenderit a Beneficio Patri concesso illum Filium, quem juxta communes leges, probatas quoque, receptasque in jure Ecclesiastico, partecipem cæterorum Adoptantis bonorum adoptio reddidit. Certe protensa gratia in hujusmodi Filios nec vilescit, cum ejusdem Dignitatis cum Patre adoptante partecipes fiant, nec periculum, aut occasio plus æquo solvendi observantium Canonum præcipientium publicas adire Ecclesias propter Missæ auditionem inde secutura timetur* (*a*).

Animadversio II.

Loquendo de *consanguineis*, quibus indulget Pontifex, ut de Privilegio privati Oratorii, quoad impletionem præcepti de Missa in Ecclesia diebus festis audienda, ipsi quoque participent, putat quidem Pasqualigo *(b)*, & cum eo, ut as-

(*a*) Cap. laudato n. 5.
(*b*) T. I. *de Sacrif. Missæ* q. 654.

assolet, Pignatellus (*a*), privilegium hujusmodi ad omnes consaguineos extendi, *quocunque gradu*, & *modo* cum principaliter privilegiato conjungantur; verum Cl. P. Gattico, nonnisi ad *quartum usque* consanguinitatis *gradum* extendi privilegium ipsum licite posse, contendit; *quia* scilicet *præsens Ecclesiastica Disciplina ad cæteros inferiores gradus non amplius respicit, postquam impedimentum Matrimonii ex carnali cognatione ortum intra quartum gradum coarctavit* (*b*). Id ipsum etiam de *Affinibus*, ad quos itidem extenditur privilegium, dicendum censet. Siquidem, inquit ille, *quemadmodum* Affinitas *orta ex matrimonio extenditur usque ad* quartum gradum, *juxta Ecclesiæ Sanctiones, reliquis remotioribus Affinibus nulla ratione consideratis; ita etiam participatio privilegii ad Affines omnes usque ad* quartum gradum *in sensu proprio Indulti dilatatur* (*c*). Merito tamen, optimoque jure mea quoque sententia, non credit idem Cl. Auctor, *a Romano Pontifice Beneficii tam singularis fuisse participes factos Affines,*

F ex

(*a*) T. VI. *Consult.* 98. n. 102.
(*b*) Cap. laudato n. 6.
(*c*) Ibidem n. 7.

ex illicito concubitu, *quos potius*, ut ille ait, *& culpæ gravitas, & dedecus ex turpi scelere in Personam redundans ab omni communicatione gratiarum excludit* (*a*).

Animadversio III.

At vero, *ut nati, consanguinei*, & *affines* de Apostolico Indulto ad effectum, de quo nobis modo res est, jure participent, debent omnes in eadem domo insimul cum principaliter privilegiato habitare. Id namque, ut legenti patebit, Indultum ipsum expresse requirit, ut proinde minime dubitandum sit, quominus deficiente hac conditione, illi haudquaquam de privilegio participent. Porro ut egregie observat Cl. P. Gattico, *convenientissima sane est ista conditio, ne scilicet privatum Oratorium ad instar publicæ Ecclesiæ conventum Exterorum admittat. Hinc si finem ipsum Privilegii inspicimus, ad meram commoditatem habitantium in eadem domo respicit, ita ut futura esset nimium immoderata desertio publicarum Ecclesiarum, cum eadem gratia generatim omnibus Consanguineis, Affinibusque Privile-*

(*a*) Ibidem.

legiati separata in domo habitantibus concederetur (*a*). Observandum tamen est, natos, consanguineos, & affines hujusmodi non participare de privilegio, si habitant quidem in eadem domo cum principaliter privilegiato, sed in separatis illius partibus, seu, ut vulgo dicitur, *appartamenti*, eaque insuper ratione, ut vivant illi propriis expensis, diversamque familiam constituant. Ita Pasqualigo (*b*), & cum eo Pignatellus (*c*), atque Mostazo (*d*), qui ait sententiam hanc *de rigore juris* esse admittendam, licet contraria, quam tradunt Pelizzarius (*e*), & Tamburinus (*f*), suam, illius quoque judicio, habeat probabilitatem. Satis porro non esse ad privilegii participationem, ut nati, consanguinei, & affines, quorum mentio fit in Indulto, habitent in ea quidem domo, sed in separatis illius partibus modo prædicto, ex Indulto ipso non obscure colligitur. Exigit enim, ut non solum *in eadem domo*, verum etiam *insi-*

(*a*) *De Orator. Dom.* c. 25. n. 9.
(*b*) T. I. *De Sac. Missæ* q. 649.
(*c*) T. VI. *Consult.* 98. n. 95.
(*d*) L. V. *de causis piis* c. 10. n. 63.
(*e*) T. II. *Manual. Reg.* T. 8. c. 2. sec. 2. subsect. 2. n. 149.
(*f*) Opuscul. *de sacrif. Missæ* l. 1. c. 4. §. 4. n. 31.

mul cum principaliter privilegiato in illa ipsi habitent. *Insimul* autem cum alio *in eadem domo* habitare plus profecto dicit, quam tantum habitare *in eadem domo*; & si plus dicit, non aliud sane, quam communionem vitæ, quæ resultat ex communione cubiculorum, & mansionum, & ex confusione expensarum victus, demonstrante Barbosa (*a*) ex Jure civili, dictionem *insimul* significare *congregationem* & *connexitatem*. Ergo nati, consanguinei, & affines participare nequeunt de Indulto ad effectum, de quo agimus, nisi non solum habitent in eadem domo cum principaliter privilegiato, verum etiam nisi eandem familiam cum illo constituant. Profecto etiam Cl. P. Gattico, & si putet, consanguineos & affines participare de privilegio, si contingeret eos *in eodem penitus habitationis loco habitare, cum principaliter Privilegiato . . . quamvis diversam constituerent familiam, propriisque sumptibus, & separata mensa viverent* (*b*) fatetur tamen, *ex vi istius dictionis* insimul *consequi, talem desiderari conjunctionem habitationis inter Consanguineos,*

(*a*) Dictio. 164.
(*b*) *De Orator. Dom.* c. 25. n. 11.

neos, *& Affines Privilegiati ad partecipandam Indulti gratiam, ut non sufficiat illos habitare* in eadem Domo, *nisi simul illorum omnium habitatio* unica, *&* eadem *fuerit*. *Imo*, inquit, *si in pleno rigore retinemus sensum illius particulæ* insimul, *fere semper necesse erit arctare communicationem Privilegii ad illos tantummodo, qui ad eandem Familiam Privilegiati pertinent*, cum vix aliter cogitari possit, qua *ratione* unum *habitationis* locum *tenere valeant Viri Nobiles*, nisi unicam Familiam *constituant*. *Certe ubi fuerint diversæ Familiæ Nobiles, etiam fere semper pro singulis Familiis solent esse separata habitationis loca, distinctaque Mansiones* (a). Videtur propterea eodem sensu accipiendum esse vocabulum *domus* in illis indulti verbis: *natorum*, *consanguineorum*, *& affinium in eadem domo .... habitantium*, quo sumitur in illis: *dummodo in eadem* domo celebrandi licentia, *quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit*. Constat autem, ut alibi vidimus, in hisce accipi *domum* pro *familia*, adeo nempe ut si plures familiæ in diversis ejusdem domus partibus, sive *appartamenti* habi-

(a) Ibidem. n. 10.

taverint, domus illa, etsi materialiter *una* sit, haberi debeat pro *multiplici*. Ergo itidem pro *familia* sumitur *domus* in illis verbis: *natorum, consanguineorum .... in eadem domo habitantium*; ut proinde si illi habitent in separatis partibus ejusdem domus, & diversam familiam a familia principaliter Privilegiati constituant, de Apostolico Indulto ad effectum, de quo agimus, licite partecipare non possint. Si quis autem opponat, natos, consanguineos, & affines esse utique debere de *familia* principaliter Privilegiati ad effectum prædictum, si spectetur vetus horum indultorum forma, in qua tantum nomen *familiæ* exprimebatur; at modo de illis aliter esse loquendum, cum scilicet expresse illi nunc a *familiaribus* discernantur; si quis, inquam, id opponat, velim ipse æquo, attentoque animo consideret, quod egregie observat Cl. P. Gattico, nempe *Romanos Pontifices retinere adhuc eas ipsas Apostolicarum Litterarum formulas, quas elapso sæculo* in licentiis *Missarum celebrandarum in privatis Oratoriis usurpare consueverant, & solum constantius exprimi voluisse* Natos, Consanguineos, & Affines, *ut ita quibusdam immo-*

mo-

moderate extendentibus Apostolica Privilegia occasio nimis ample interpretandi nomen Familiæ *in iisdem Litteris contentum adimeretur* (*a*). Igitur *si nati*, *consanguinei* & *affines*, qui modo distincte in Indulto exprimuntur, ii sint, qui olim *familiæ* vocabulo designabantur, quis non videt, eos haudquaquam de privilegio partecipare, nisi ita *simul* habitent *in eadem domo* cum principaliter Privilegiato, ut ad illius quoque *familiam* ipsi pertineant? Ceterum observante eodem Viro Cl., valde minueretur frequentia Ecclesiarum *quoties iisdem* (natis scilicet, consanguineis, & affinibus, de quibus modo nobis res est) *liceret in Oratorio privato Consanguinei, vel Affinis præceptum audiendæ Missæ adimplere ex hoc tantummodo, quod in eadem domo habitarent, quamvis* insimul *non viverent. Quot enim,* inquit Cl. Auctor, *sub eodem tecto, vel in diversis ejusdem domus partibus Cognati, & Affines habitant, nihil tamen inter se commune habentes, & separatim viventes? Detur ergo passim libertas omnibus illis, ut de Privilegio concesso alicui participent, & statim magis destitui* publicas

(*a*) Cap. 20. n. 20.

Ecclesias diebus *festivis tempore publici Sacrificii videbimus. Ista incommoda prudenter arcet Romanus Pontifex, dumque Cognatis, Agnatisque permittit gaudere de spirituali consolatione Privilegiati, illorum omnium habitationem in eadem domo* insimul *requirit* (*a*).

Animadversio IV.

Si duo demum ex eadem familia, e. c., duo fratres sint principaliter privilegiati, sed illorum unus dumtaxat, dum Missa celebratur, præsens in Oratorio existat, tunc hujus tantum *affines*, minime vero *affines* illius, qui absens est, de privilegio participant. *Nullum quippe*, inquit laudatus P. Gattico, *occurrit fundamentum concedendi valorem gratiæ pro Affine Fratris Absentis; sicut nullum fundamentum occurrit extendendi eandem gratiam, quando abest ille unus, in quem tantum Papale Breve dirigitur. Ex hoc enim quod duos simul principaliter respiciat idem Privilegium, duplici tamen distincto Privilegio juxta accommodatam singulis Privilegiatis affinitatem interpretando æquivalet. Si vero*

(*a*) Cap. 25. n. 2.

ro duo illi Privilegiati essent Maritus & Uxor, tunc quocunque horum præsente Affines alterius satisfacerent præcepto, quia qui uni conjugi Affinis est, cum altero consanguinitate conjungitur; unde licet cessaret titulus affinitatis, titulus consanguinitatis, vigeret (*a*).

III.

Dico tertio, etiam *hospites nobiles* de hjusce modi privilegio ad effectum, de quo agimus, participare. Patet tum ex ipso Indulto, tum ex Decreto BENEDICTI XIV., quo de *natis, consanguineis*, & *affinibus* idipsum superiori loco demonstravimus. Patet ex Indulto. Expresse namque in eo dicitur, ut in *hospitum Nobilium*, perinde ac *natorum, consanguineorum*, & *affinium* præsentia sanctum Missæ sacrificium in privato illius, cui Indultum ipsum concessum est, Oratorio offeri possit, nullusque, ut arbitror, inficiabitur, Summum Pontificem tunc loqui de præsentia, quæ ad præceptum de auditione Missæ implendum sufficiat. Patet quoque ex Sapientissimi Pontificis nunc

(*a*) Ibidem n. 8.

nunc feliciter regnantis Decreto, cujus alibi quoque mentionem fecimus. In illo siquidem, ut videre quisque potest, expresse declaratur, *hospitibus nobilibus* quemadmodum *Filiis*, *Consanguineis* &c. in brevi memoratis *nil aliud per ejusmodi Brevia concedi*, *quam quod unusquisque eorum.... assistens Missæ*, *quæ celebratur in Oratorio privato..... satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus festis de præcepto*. Dubitandum itaque non est, quominus etiam hospites nobiles de Apostolico hujuscemodi Indulto participent. Verum enimvero

Animadversio I.

Cum non omnibus hospitibus, sed *nobilibus* tantum concessum sit de hoc Privilegio participare, observandum est cum Pasqualigo (*a*), Mostazo (*b*), Pignatello (*c*), Clericato (*d*), aliisque, non requiri *nobilitatem generis*, videlicet ut ille sit ex *nobili genere* natus; sed, ut ait Pasqualigo, sufficere, *quamcumque nobilita-*

ta-

(*a*) Tom. I. *de Sacrif. Missæ* q. 653. n. 2.
(*b*) Lib. V. *de Causis Piis* c. 10. n. 66.
(*c*) Tom. VI. *Consult.* 98. 100.
(*d*) *De Euch.* decis. 8. n. 48.

tatem sive ex genere, *sive* ex privilegio, *sive ratione* Matris *tantum*, *sive ratione* dignitatis, *seu* gradus, *sive quocunque alio modo. Nam qualibet nobilitas, quocunque modo conveniat hospiti, sufficit ad verificandam qualitatem* nobilitatis *requisitam, cum sufficiat, ut appellari possit* nobilis *(a)*. Negat tamen P. Gattico, nobilitatem ex parte solius *Matris* ad jure participandum de hoc privilegio in hospite sufficere. Cum enim, inquit, *absolute* nobilis *supponitur ab indulto hospes, inferendum puto, non sufficere meram nobilitatem istius ex parte Matris, quæ neque ad absolute nobilem denominandum privilegiatum sufficit (b)*. Sane cum privati Oratorii Indultum stricte interpretandum sit, si hospes ex nobili matre natus haud possit, vere proprieque loquendo, *nobilis* noncupari, relinquitur, illum licite non posse de hoc privilegio participare. Id ipsum negat idem Vir Cl. de divitibus, quos Pasqualigo *(c)*, ceterique modo memorati, *nobilium* quoque appellatione hic venire contendunt. *Cum enim*, inquit P. Gattico, *nullus audeat*

(*a*) Loco citato.
(*b*) *De Orator. Dom.* cap. 25. n. 29.
(*c*) Loco citato n. 4.

deat contra mentem Pontificis pro privilegii validitate pugnare, dum ab illo supponitur nobilis *privilegiatus, qua ratione ad divites* non nobiles *privilegium, æquè supponens hospites* nobiles *extendere licebit? Certe si Pontifici arrisisset ad alios hospites more* nobilium *viventes similem indulgentiam elargiri, non ei ignotum erat vocabulum, quo istos quoque complecteretur (a).* Neque juvat illa juris regula (*b*) in VI. Decretalium, quod nempe *odia restringi & favores convenit ampliari;* etenim, ut sæpe monui, & Doctores omnes fatentur, ejusmodi privilegium, utpote contra jus commune, debet stricte, nempe non ultra propriam verborum significationem interpretari; utque habet alia juris regula (*c*) in eodem VI. *quæ a Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.*

Animadversio II.

Quoniam porro *hospes*, ut observat Cl. Facciolatus (*d*), *proprie dicitur de amicis di-*

(*a*) Loco citato.
(*b*) *Regula* 15.
(*c*) *Reg.* 28.
(*d*) In Lexic. Lat. v. *Hospes*.

diversarum patriarum, qui se mutuo recipiunt, cum alter in alterius patria peregrinus est, attente observent oportet cum laudato P. Gattico, qui privilegio domestici Oratorii decorati sunt, *eos omnes ab Indulto excludi*; nempe non participare de privilegio ad effectum, de quo agimus, *qui cum morentur in eadem villa, in qua privilegiatus villicat, ad istius forte domum velut hospites accesserint* (*a*). Evidens enim est, eos, vere proprieque loquendo, *hospites* dici non posse. Negandum non est tamen, extendi licite posse privilegium etiam ad hospitem unius diei, imo etiam ad eum, qui eo maxime fine ad prandium invitatur, ut de privilegio participet. Ita Doctores omnes, quos supra laudavimus, ne ipso quidem P. Gattico excepto. Et is enim aperte docet, *sufficere ad participationem Indulti quod aliquis pransurus apud privilegiatum venerit* (*b*). Neque enim, inquiunt illi, *hoc esset fraus, sed reddere habilem Virum nobilem, ut frui posset privilegio* (*c*).

Ani-

(*a*) Cap. laudato n. 30.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Loco citato.

ANIMADVERSIO III.

Demum circa *hoſpites nobiles* obſervandum eſt, eos frui licite non poſſe privilegio, de quo agimus, niſi in Oratoriis *ruri* exiſtentibus, nempe niſi cum ii, qui illos hoſpitio excipiunt, ruri morantur. Ita enim expreſſe in Indulto. Dicitur quippe, ut *quoad Oràtoria ruri exiſtentia, etiam in hoſpitum nobilium præſentia* ii, quibus indultum ipſum directum eſt, Miſſam celebrari facere libere, & licite poſſint. Neque dubitandum quominus hæc clauſula ſit taxativa; ac proinde quominus Apoſtolico Privilegio hoſpites illi abutantur, qui putant etiam in civitate ab ſe impleri præceptum, dum Miſſæ in privato illorum Oratorio, apud quos hoſpitantur, diebus feſtis aſſiſtunt. Ceterum, ut egregie obſervat Cl. P. Gattico, *hac reſtrictione apparet, quanta cum diſcretione ſe gerat Pontifex, qui vult equidem ſuis beneficiis Viros nobiles a ceteris diſcernere, ſed ſimul nullam anſam præbere, ne ſine cauſa legitima publicæ Eccleſiæ deſerantur (a).*

IV.

(a) Cap. laudato n. 29.

IV.

Dico postremo, eos famulos Ecclesiæ præcepto, Missam in privato domus Oratorio diebus festis audiendo, satisfacere, qui sunt de familia principaliter privilegiati, ejusque servitio, tempore quo Missa celebratur, actu sunt necessarii. De hisce namque loquens Summus Pontifex, ait in Indulto: *Volumus autem, quod familiares servitio tuo* (ejus scilicet, cui Privilegium concessum est) *tempore dictæ actu non necessarii ibidem* (nempe in domestico illius Oratorio) *Missæ hujusmodi intercessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.* Si ergo ab hujusmodi obligatione hi nequaquam liberi sunt, restat profecto, eos familiares ab illa obligatione esse liberos, qui servitio Domini tunc actu sunt necessarii; cum scilicet, ut est vulgo notum, exceptio firmet regulam in contrarium. Itaque

Ani-

ANIMADVERSIO I.

Loquendo de famulis, observandum attente est, tria in illis necessario requiri, ut de Apostolico Privilegio, de quo in præsens agimus, jure ipsi participent. Requiritur enim primo, ut sint *familiares*, nempe, quemadmodum ex cap. *sicut nobis de verborum signific.* in VI. docent Doctores communiter, ut vivant expensis Domini, cujus dicuntur *familiares*, ejusque servitio incumbant. Ita siquidem eos appellat Pontifex in Indulto; certumque præterea est, ut egregie observat Cl. P. Gattico (*a*), non alios exprimi nomine familiæ, quod *natis*, *consanguineis*, & *affinibus* in Indulto adjungitur, nisi eos, qui servitio sunt addicti. Requiritur secundo, ut non solum possint esse necessariiS ervitio Domini, verum etiam, ut *actu* necessarii eidem sint. Requiritur postremo, ut sint actu necessarii Servitio Domini, non aliquando intra diem, sed eo ipso tempore, quo Missa in domestico Oratorio celebratur. Illi siquidem famuli liberi haudquaquam censentur

(*a*) *De Orator. Dom.* c. 25. n. 12.

tur ab obligatione audiendi Sacrum in Ecclesia diebus festis de præcepto, qui *servitio* illius, cui Indultum conceditur, *tempore* Missæ *actu* non sunt necessarii. Hac idcirco stante Apostolici Indulti restrictione.

Animadversio II.

Tutum minime videtur, quod docet Pasqualigo, videlicet eos omnes famulos de Indulto participare, *qui sunt in continuo servitio Domini, ita ut necesse sit ab ipso desistere, ut assistant Missæ, ut sunt magister cubiculi, assistentes ostio cubiculi, & cæteri quorum munus requirit, ut præsto sint ad nutus Domini* (a). Hac enim admissa doctrina, omnes prorsus famuli gaudent Indulto ad effectum, de quo agimus, cum omnes suo modo sint in continuo servitio Domini, omnesque ad illius nutum præsto esse debeant; unde omnino frustra tunc dixit Summus Pontifex in Indulto, eos non participare de Privilegio adimplendi præceptum Ecclesiæ, Missam in privato Oratorio diebus fe-

(*a*) T. I. *de Sacrif. Missæ* q. 658. n. 9. & 10.

festis audiendo, qui servitio Domini, tempore Missæ, actu non sunt necessarii.

Animadversio III.

Ratione non dissimili videtur, eumdem Virum Cl. haudquaquam esse audiendum, dum ait (*a*), etiam famulos, qui ruri degunt, ut illius negotiis ibi vacent, præcepto Ecclesiæ satisfacere, si ad urbem diebus festis accedant, ibique in privato domus Oratorio Missæ assistant. Quamvis enim illi sint *familiares*, actu tamen, ut patet, non sunt necessarii servitio Domini, dum Missa celebratur: quod sufficit, ne ad partecipandum de Indulto admitti licite possint.

Animadversio IV.

Licet *necessitas*, & *utilitas*, ut ajunt Jurisperiti, in lege æquiparentur, hæc tamen regula videtur hic non habere locum; ac proinde tuto admitti non posse, quod hinc docet laudatus Pasqualigo (*b*), & cum illo Pignatellus (*c*), nem-

(*a*) Ibidem q. 650.
(*b*) Ibidem q. 658. n. 3.
(*c*) T. VI. Consult. 98. n. 107.

nempe *eo ipso quod aliquis familiaris est utilis servitio Domini*, habendum esse *pro necessario*; ac propterea de Privilegio privati Oratorii ad effectum, de quo agimus, participare. Id quippe si concedatur, detur quoque necesse est, nullum prorsus dòmus famulum ab ejusmodi Privilegii participatione posse excludi; cum nullus nempe sit, qui servitio Domini, tempore Missæ, actu *utilis* censeri nequaquam possit. Sequeretur quoque, non stricte, ut fieri debet, ipsismet etiam fatentibus Pasqualigo, & Pignatello, sed late privati Oratorii Indultum explicari sine crimine posse; cum scilicet *utile* longe latius pateat quam *necessarium*; nemine ignorante, ut arbitror, omne *necessarium* esse quidem utile, sed non omne *utile* vere, proprieque loquendo esse *necessarium*.

Animadversio V.

Minime dubitandum putat Cl. P. Gattico, *quin familiares necessarium Dominis præbentes servitutis officium, inspecto convenienti* DECORE *eorundem, vere participent de Pontificio Indulto* (a) At non

(a) Cap. 25. n. 19.



non deerit fortaſſe, qui, bona tanti Viri venia, contrarium tenendum arbitretur, hac potiſſimum ratione motus, quod nullus plane futurus ſit familiaris, qui à participatione ejuſcemodi Indulti excludi queat, ſi hæc doctrina admittatur, cum ſcilicet nullus ſit, qui inſpecta conditione principaliter privilegiati, actu neceſſarius illius ſervitio etiam Miſſæ tempore cenſeri non poſſit. Niſi ergo placeat, anſam dare privilegiatis, ut pro arbitrio Indultum ipſum extendant, eludantque clauſulam, quæ ad certos dumtaxat familiares illud reſtringit, dicamus neceſſe eſt, in definiendo numero familiarium, qui actu neceſſarii ſunt ſervitio Domini, dum Miſſa celebratur, nullam planè *decoris* rationem haberi licite poſse, præſertim cum certa res ſit, ejuſcemodi Privilegium, utpote contra jus commune, ſtricte eſse interpretandum.

Animadversio VI.

Ad tollendas igitur omnes animorum anxietates, arbitror cum eodem Viro Cl. *tuto poſſe unum familiarem deputari*

tam-

tamquam necessarium ad inserviendum Sacerdoti celebranti, quando neque Privilegiatus, neque illius Filius, Consanguineus, aut Affinis hoc munus sponte susciperet. Nam tempore Sacrificii profecto actu inservit Privilegiato, qui Sacerdoti in ejusdem gratiam celebranti ministrat. Constringere autem Privilegiatum, aut ipsius Cognatos, Affinesque ad deserviendum Sacerdoti sacrificanti, nulla lex jubet, neque Indultum requirit, a quo illis omnibus absolute conceditur adimpletio præcepti Ecclesiastici per hoc, quod in privato Oratorio Missæ assistant. Tuto insuper, cum eodem censeo, *posse alium familiarem admitti ad idem præceptum implendum; cum ad omnes eventus unus saltem famulus semper tamquam necessarius servitiis Domini prudenter judicetur. Si vero fæmina principaliter privilegiata fuerit, tunc una ancilla ei legitime conceditur, ut actu parata ad succurrendum Dominæ adsit, si forte ejus opera eguerit. Quamvis enim nihil* actu *pro* tempore Sacrificii *Domino famulus, aut Dominæ ancilla deservire videantur, tamen in eo tunc necessarium præstant servitium, quod actu vigilent ad illorum subsidium, si inopino aliquid tunc temporis accide-*

ret (*a*). Etsi porro Cl. Auctor ancillam, potius pro fæmina privilegiata, quam famulum commemoret, fatetur tamen, non transgredi Indulti limites, si famulum Ancillæ loco ipsa quoque ad sibi serviendum elegerit; *cum jam*, inquit, *non soleat a Romanis Pontificibus determinari in Indulto persona fæminini sexus, etiamsi ad nobiles mulieres dirigatur* (*b*).

ANIMADVERSIO VII.

Negandum non est tamen, duos, pluresve etiam famulos ad Indulti participationem admitti posse a principaliter privilegiato, si juxta adsit causa, puta ætatis, vel infirmitatis. Id quippe non obscure deducitur ex hoc, quod familiarium numerus non determinetur in Indultu, sed ii omnes Privilegii gratiam participare in eo dicantur, qui servitio principaliter privilegiati, tempore, quo Missa celebratur, actu sunt necessarii. Hinc laudatus P. Gattico, *ubi quidam*, inquit, *seminarium dubitationum, & scrupolorum esse putant*, ipse ex adverso Romano-

(*a*) Ibidem n. 23.
(*b*) Ibidem.

norum Pontificum clementiam admiratur, *qui cum bene noverint, non æque omnibus Privilegiatis sufficere posse eundem numerum familiarium pro suis necessariis actualibus servitiis tempore Sacrificii, imo aliquando propter speciales Circumstantias eidem Privilegiato plures familiares posse esse necessarios actu tempore Missæ, quam in aliis circumstantiis ... ferme nunquam numerum præfigunt, ne ullus privilegiatus ex hujusmodi limitatione molestiam, gravamenque* aliquando pati cogatur (*a*).

Animadversio VIII.

Hoc tamen loco attente observetur velim, iis tantum, qui Missam in domestico Oratorio celebrari facere possunt, permissum esse vigore Apostolici Indulti, famulum sibi assumere, qui de Privilegio ipso participet. Loquens enim Pontifex de familiaribus, quos liberos censet ab obligatione audiendi Missam in publica Ecclesia in diebus festis de præcepto, si in privato Oratorio tunc eidem intersint, eos dumtaxat memorat, excipitque ab hac obligatione, qui servitio ejus, cui pro-

(*a*) Ibidem n. 22.

proprio nomine nuncupato, Induſtum concedit, tunc actu ſunt neceſſarii. Nati propterea, conſanguinei, & affines, quibus Miſſam quidem audire licet, minime vero facere celebrari, nullum ſibi famulum eligere poſſunt, qui de hujuſcemodi Privilegio participet. Sane in Archivio Emi Card. Vicarii ab ſe obſervatum fatetur Cl. P. Gattico, *cum aliqui familiares Cognatorum de Privilegio participare ſinuntur, etiam in litteris Apoſtolicis exprimi*; unde concludit Vir Cl., *Papale Indultum non eadem latitudine reſpicere Conſanguineos, & Affines, qua reſpicit principaliter Privilegiatum, quantum pertinet ad familiares actu neceſſarios ſervitiis tempore Miſſæ* (*a*).

Animadversio IX.

Verum haud dubito cum laudato P. Gattico, quominus ſi principaliter privilegiatus curam habere debeat, veluti ſupremus totius familiæ gubernator, natorum, conſanguineorum, & affinium, poſſit alium famulum eligere, qui illorum curæ, tempore Miſſæ, incumbens, de Privilegio participet. *Etenim*, inquit ille, *ſi*

(*a*) Ibidem n. 24.

si principaliter Privilegiato suorum Affinium, Cognatorumque singularis cura incumbat, dum famulus in istorum necessariis servitiis occupatur, simul Privilegiato deservit; quoniam domus gubernator, & rector ex proprio munere pro omnibus domesticis excubare cogitur. Hac de causa (pergit Cl. Auctor) *nemo negaverit, quod Patris-Familias necessaria servitia dicantur, quæ fuerint Filiis illius potestatis subjectis præstita. Similiter propria alicujus servitia dicuntur, & sunt, quæ Patri, Matri, Uxori, Fratribus Sororibusque illius impenduntur; cum respectu omnium teneatur aliquis curam exercere, quando aliter per se ipsos suis necessitatibus providere nequeunt, & aliunde nulla causa ab istorum cura gerenda ipsum excusat. At cum Agnati, Cognatique non pendent a cura principaliter Privilegiati, non video qua ratione istius servitiis necessariis deservire ille dicatur, qui iisdem Consanguineis famulatur. Quamobrem nequaquam probabile videtur, quod Frater v. g. Privilegiati, cujus gubernationi non subjicitur, possit secum proprium famulum in Oratorio admittere, ut Ecclesiæ præcepto de Missa audienda satisfaciat* (*a*).

Ani-

(*a*) Loco citato.

ANIMADVERSIO X.

Licet porro, si plures fuerint in eodem Brevi principaliter Privilegiati, unus tantum famulus ad omnibus inserviendum tempore Missæ sufficeret; censet tamen, & juste quidem, mea quoque sententia, laudatus Vir Cl., eorum quemlibet posse unum famulum secum in Oratorio ad participandum de Privilegio admittere: *Considerans enim*, inquit ille, *virtute, & æquivalentia Indultum juxta numerum Privilegiatorum multiplex fore, idcirco alienum mihi non est visum quidquam a mente Pontificis, si unusquisque istorum id facere valeat, quando simul cum alio Missæ adfuerit, quod posset agere, si solus Missæ interesset* (a).

ANIMADVERSIO XI.

De famulis hospitum nobilium illud ipsum dicendum arbitror, quod de famulis natorum, consanguineorum, & affinium paulo antea diximus, videlicet neque illos de Indulto ad effectum, de

quo

(a) Ibidem.

quo agimus partecipare. Ita cum Pasqualigo (*a*), & Pignatello (*b*) laudatus P. Gattico (*c*), repugnantibus tamen Mostazo (*d*), & Clericato (*e*). Est autem ratio, quia si fuisset Pontificis mens, illos quoque in Indulto comprehendere, eos silentio non præteriisset, quemadmodum loquendo de principaliter Privilegiatis, non omisit famulos, qui illorum servitio necessarii actu sunt tempore Missæ. Testatur quoque P. Gattico, se Indulto, quod INNOCENTIUS X. suo Eleemosinario sub die 10. Martii anno 1653. tradiderat, expressum legisse, ut in privato illius Oratorio celebrari posset Missa in præsentia hospitum, *& eorum familiarium servitiis* ipsorum *tempore dictæ Missæ actu necessariorum*. Semper igitur, ut recte hinc ille colligit, *id aperte in Litteris Apostolicis insereretur, si ex mente Pontificis Indultum ad hospitum familiares necessarios extendi posset* (*f*). Id demum, pergit ille, *prohibent communes, & proba-*

(*a*) T. I. *De Sac. Missæ* q. 653. n. 3.
(*b*) T. VI. *Consult.* 98. n. 101.
(*c*) *De Orator. Dom.* c. 25. n. 31.
(*d*) L. V. *de caussis piis* c. 10. n. 66.
(*e*) *De Euch.* decis. 8. n. 49.
(*f*) Loco citato.

batissimæ Juris Regulæ, quæ vetant in interpretatione Privilegii dispensantis ab aliqua generali lege transgredi, vel minimum limites præfixos ab illius verbis in proprio rigore exponendis; *vetantque simul, Privilegia uni, vel certis Personis concessa ad alios extendere propter paritatem rationis. Revera si liceret ad* Hospitum *famulos Indultum amplificare, quia similis ratio militat inter Famulos* Hospitis, *ac Famulos principaliter Privilegiati; quomodo cohiberi possent plures aliæ amplificationes, quas forte quis tentaret pro aliis nobilibus, licet non* Hospitibus, *pro aliis* Consanguineis, *licet in eadem domo non habitantibus? Sed qui limites teneri poterunt semel disruptis repagulis stabilitis in forma ipsa Privilegii? Demum non ne etiam circa famulos Privilegiati tantus rigor requiritur, ut necesse sit eos inter* Familiares *esse* adscriptos *ad participationem Indulti? Multo igitur convenientius videtur eadem gratia carere Famulos* Hospitis, *qui cum Familiaribus Privilegiati numerari nequeunt. Pertinebit itaque* (concludit Cl. Auctor) *ad Privilegiatum ipsum curare, ut tempore Sacrificii nihil desit Hospiti in necessariis ipsius servitiis, & quemadmodum ad illum*

lum pertinet Hospitis cura, simul ad eum spectabit alium designare Familiarem, si quis fuerit, qui Famulatui necessario præsto adsit.. Hoc modo, dum Hospiti plene consulitur, nullus admittitur ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico in Oratorio privato præter illos quos expresse participare de Indulto Pontifex concedit. Etenim Familiaris Privilegiati, ad servitium necessarium Hospitis deputatus simul necessariis servitiis Domini tempore Sacrificii vacare intelligitur, id exequendo, quod a Domino suo Hospitalitatis munus exposcit (a).

ANIMADVERSIO XII.

De Sacerdote celebrante frustraneum puto plura verba facere. Cum enim principaliter Privilegiato concedat Summus Pontifex, ut *per quemcumque Sacerdotem* Missam celebrari facere possit, apertum videtur Sacerdotem ipsum satisfacere Ecclesiæ præcepto, dum ab illo vocatus Missam diebus festis in privato ejusdem Oratorio celebrat. Accedit præterea non de Sacerdote, qui celebrat, sed de iis, qui Missæ intersunt, Summum Pontificem in

(a) Cap. laudato n. 31.

in Indulto loqui, dum in eo declarat, quinam sint, qui Missæ in privato Oratorio *interessentes* ab obligatione audiendi Sacrum in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberantur.

Animadversio XIII.

Velim porro, ut ii omnes, qui implere possunt Ecclesiæ præceptum, Missam diebus festis in domestico Oratorio audiendo, serio animadvertant, ipsos teneri, eam ibi tunc audire, si quid illis impedimento tunc sit, quominus ad publicam Ecclesiam accedant. *Ratio est*, quia, ut ait Pasqualigo, *præceptum audiendi Missam obligat omnes illos, qui possunt audire, nec excusantur nisi impotentes, aut impediti. Qui autem habet Privilegium, ut possit satisfacere præcepto audiendi in privato Oratorio, non est impotens, nec impeditus, ut per se constat; & proinde præceptum superveniens, cum non reperiat impotentem, aut impeditum, ipsum afficiet. Nec dici potest, quod sit impotens, aut impeditus ad implendum consueto modo, & sicut deberet implere, si non haberet Privilegium; nam hoc non sufficit, ut eximatur*

ab

ab obligatione præcepti. Privilegium namque cum concedat, posse impleri præceptum audiendo in privato Oratorio, detrahit de obligatione præcepti; quia tollit obligationem audiendi in Ecclesia; & ideo quando in diebus festivis supervenit præceptum, non affert secum, quoad privilegiatum totam suam obligationem, sed tantum illam, cui non est derogatum, quæ est præcise obligatio audiendi Missam independenter a loco privato vel publico. Ergo si non reperit impotentem, aut impeditum respectu hujus obligationis ipsum afficiet, quia tantum impedimentum, aut impotentia facit, ne consurgat obligatio, & Privilegiatus est potens ad implendam totam obligationem, quam respectu ipsius continet præceptum (a). Hæc Pasqualigo, cui palam aperteque consentiunt Auctor *Supplementi* ad Theologiam Moralem P. Anacleti Reinfestuel *(b)*, & Cl. P. Gattico *(c)* fassus ingenue, sententiam hanc non carere probabilioribus argumentis, *quæ tum severitas obligationis Missam audiendi singulis diebus festivis, si non impediant gravia obstacula, tum ratio*

(*a*) Tom. I. *de Sacrif. Missæ* q. 662. n. 4.
(*b*) In supplem.
(*c*) *De Orator. Dom.* cap. 21. n. 36.

tio specialis Privilegii domesticarum Missarum suppeditant; quamvis vinceret forte negativa responsio, quam nomen ipsum Privilegii, *liberum favorem alteri collatum significans a multis extorsit, si in hac quæstione solvenda Scriptorum numero*, ut ipse ait, *pugnandum esset* (*a*). Posito itaque, teneri audire Sacrum in privato Oratorio diebus festis de præcepto, qui habens privati Oratorii Indultum, nequit tunc ad publicam Ecclesiam accedere sequitur I. auctore Pasqualigo post Nugnum, quem ipse citat, *multo minus a culpa, utique gravi excusari, qui uteretur Privilegio privati Oratorii diebus non festivis, aut quando potest adire Ecclesiam, & nollet postea uti diebus festivis, quando non potest adire Ecclesiam* (*b*). Sequitur II., eodem teste, *quod habens Privilegium satisfaciendi præcepto audiendo Missam in privato Oratorio, quando non potest adire Ecclesiam, tenetur providere de Sacerdote, qui coram ipso celebret in privato Oratorio, nisi valde difficile sit reperire* (*c*). Sequitur III. ut egregie observat P. Gattico, *quod Pater*

(*a*) Ibidem.
(*b*) Loco citato n. 10.
(*c*) Ibidem n. 11.

ter-familias teneatur exequi Privilegium, ut hac ratione, si quis suorum domesticorum, quem Pontifex partecipare sinit de Indulto, ad Ecclesiam die festo accedere impotens fuerit, in privato Oratorio Missarum celebrationi assistere valeat, & praeceptum facile exequatur (*a*). Etenim inquit Cl. Auctor, *Pater-familias sine gravi suo incommodo curare debet, ut omnes de Familia existentes Ecclesiastica praecepta adimpleant, & hoc maxime, pro cujus executione frequenter Sacri Pastores* (*Hoc enim insinuabat vehementer S. Carolus* in I. Mediol. Synodo) *monere solent familiarum Patres, ut diebus festivis operam omnem adhibeant, ne Filii, ac famuli interesse negligant. Nam sicut ait S.P. Augustinus lib.* 19. de Civit. Dei cap. 16., qui vere Patres-familias sunt omnibus in Familia sua tamquam Filiis ad colendum, & promerendum Deum consulunt (*b*).

Animadversio XIV.

An demum liceat in privatis Oratoriis vi solius Indulti, quo Missa in illis cele-

H bra-

(*a*) Cap. laudato n. 38.
(*b*) Ibidem.

brari conceditur, Euchariſtiam adſtantibus miniſtrare, diu multumque inter Doctores diſceptatum fuit, affirmantibus nonnullis, quos citat, & ſequitur Clericatus (*a*), id fieri licite poſſe excepto die ſolemni Paſchæ; negantibus aliis, quos inter Paſqualigo (*b*), Pignatellus (*c*), & P. Gattico (*d*), proprerea nimirum quia, ut illi ajunt, *miniſtratio Euchariſtiæ pertineat ad juriſdictionem, cum ſit actus paſcendi proprias oves, ut deſumitur ex Concil. Carthag. I. can. 7. & Concil. Milevitano can. 18. Et proinde, ut Regulares poſſent miniſtrare Euchariſtiam, quamvis libere poſſent celebrare in propriis Eccleſiis, & quilibet ibi intereſſe Miſſæ, non tamen ex hoc poterant miniſtrare Euchariſtiam; ſed opus fuit ſpecialibus Privilegiis, qualia conceſſa X. ipſis fuerunt à Sum. Pontifice. Et ideo ex eo, quod conceditur Miſſa, non cenſetur conceſſa facultas ſumendi Euchariſtiam, eamque miniſtrandi, quia cum pertineat ad Juriſdictionem, eſt quid ſpeciali nota dignum, & ideo non venit in conceſſione celebrandi,* *cum*

(*a*) *De Euch* deciſ. 8. n. 55.
(*b*) Tom. I. *de Sacrif. Miſſæ* q. 644.
(*c*) Tom. VI. *Conſult.* 98. n. 86.
(*d*) Cap. 29. n. 6.

cum debeat specialiter exprimi (*a*). *Unde necessarium est*, inquit Cl. P. Gattico, *specialem ab Ordinario facultatem impetrare, ut licite domestica fiat Communio, quando simul in Pontificio Privilegio expressa non fuerit licentia ejusdem Communionis tempore Domestici Sacrificii a Privilegiato prolibito percipienda* (*b*); neque enim contendere aliquis recte potest, licentiam hanc intelligi in Indulto concessam hoc ipso, quod illius vigore permittitur, ut in domestico Oratorio Missa celebretur. Constat quippe, licentiam domesticæ Communionis in aliquibus Indultis, iis præsertim, quæ suis proximis Consanguineis a Romanis Pontificibus concedi solent (*c*), expresse legi: Quod profecto non fieret, si necessaria non esset specialis dispensatio, distincta a concessione domestici Sacrificii, ut Eucharistiæ *Sacramentum* iis, qui Missæ in privato Oratorio celebratæ assistunt, ministrari licite posset. At profecto patebit luculentissime, ex concessione domestici Oratorii minime consequi concessionem domesti-

(*a*) Pasqual. loco citato n. 3.
(*b*) Loco citato.
(*c*) Vide P. Gattico cap. 19., & 29.

cæ Communionis, sed obtenta facultate privati Oratorii, peculiarem licentiam requiri, ut sacra Communio a Sacerdote, qui in illo celebrat, adstantibus tribuatur, si certissime constet quamplures Episcopos, doctrina, & pietate conspicuos, expresse prohibuisse, ne quis sine illorum licentia id facere auderet; si demum (quod sane decretorium in hac materia argumentum est) Sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. doctrinam hanc Apostolica sua auctoritate confirmaverit. Jam vero quamplures Episcopos id expresse prohibuisse patet primo, ex Concilio Derthusano in Hispania anno 1429. celebrato (a). In illo quippe cetera inter statutum legitur, *quod nemini sano per privatas Domos, vel Capellas Sacramentum Eucharistiæ ministretur* (b). Patet secundo ex Synodo Panhormitana, quam celebravit Card. de Auria. In ea enim hoc habetur Decretum: *In Oratoriis privatarum ædium in quibus S. Sedis Apostolicæ permissu celebratur, nemini unquam Sacra Communio ministretur, nisi facultate ab Archiepiscopo petita* (c). Patet demum ex alio

(a) T. XVII. Concil.
(b) Cap. 7.
(c) P. II. c. 2. n. 6.

alio haud dissimili Decreto, nuper facto in sua itidem Synodo ab Emo Card. Daniele Delphino Patriarcha Aquilejensi. Dicitur enim: *In Oratoriis porro privatis nunquam Eucharistia administretur sine nostra licentia* (*a*). Quod autem Summus quoque Pontifex BENEDICTUS XIV. ita senserit hac super re, velitque, ut ita ab omnibus teneatur, evincitur luculentissime, tum ex Decreto, quod pro Bononiensi Diœcesi, antequam ad Summi Pontificatus apicem eveheretur, ipse ediderat; tum ex encyclica Epistola, quam factus jam Summus Pontifex ad Primatem, Archiepiscopos, & Episcopos Regni Poloniæ nuperrime scripsit, quaque Decretum illud suum expresse confirmavit. Ita enim in Edicto: *Acciochè le Chiese pubbliche non servano, che per le sole persone, che non anno in Casa l'Oratorio privato, e per altri degni rispetti comandiamo, & ordiniamo, che nelli Oratorii privati non ostante la concessione della Messa non si amministri il Sacramento dell' Eucharestia in verun modo da qualunque Sacerdote Secolare, o Regolare, se prima da noi, o dal nostro Vicario Generale non se ne sarà*

(*a*) Cap. 14.

ottenuta la licenza (a). Ita vero in Epistola encyclica eo consilio a Sapientissimo Pontifice ad Poloniæ Præsules scripta, & sub die 2. Junii anno 1750. Romæ typis vulgata, ut finem daret dissidiis, quæ propter domestica Oratoria in illorum Diœcesibus nuper excitata fuere. Præmisso namque in illa, *omnem rem hujusmodi* (quæ scilicet ad domestica Oratoria spectat) *ab Apostolicis Privilegiis dependere, quorum explicatio privativo Jure Summis Pontificibus reservata est; remque ipsam præcipuam normam desumere debere ex intentione illius, a quo concessio facta est, cujus sensus concedenti semper, quam alii cuilibet notior esse debet*, reliquum est, inquit Sapientissimus Pontifex, *ut de sacris functionibus dicamus, quæ in iis Oratoriis fieri possunt, quæ in domibus privatorum sunt ..... Extra Paschalem vero Communionem cum in sacro Tridentino Concilio* Sect. 22. cap. 6. de Sacrif. Missæ, *quæ subjicimus, verba legantur*: optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad

(a) Edict. 44. §. 3. n. 12.

ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret, *non defuit, qui ex eisdem verbis deduceret, quod certe, & clare inde consequatur, ut in privatis Oratoriis, quando in ipsis celebrandi Missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis, qui Missæ præsentes adstant; neque ad hoc præstandum ullo particulari Indulto opus sit. Super hujuscemodi quæstionis capite nos in nostra Institutione 34. §. 3. disseruimus inter eas, quas tum cum Bononiæ resideremus, Ecclesiæ illius Archiepiscopatum gerentes, publicavimus; quas quidem Institutiones cum Italico Sermone edidissemus, postea Romæ latine reddita, atque impressa sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus; verum aliam esse subjunximus, quæ Episcopi licentiam requirit, ut, qui domesticum Oratorium domi habet, dum Missæ in eodem interest, communicare possit. Hujusmodi opinio tum bono rerum ordini, tum Romanæ etiam consuetudini, sive praxi cohærens Nobis visa est; ac proinde ordinavimus*, ne in privato Oratorio recipi Communio posset ab iis, qui in eodem Missæ intersunt, quam vel Secularis Sacerdos, vel Sacerdos Regularis celebraret, nisi vel nostram, vel Vicarii Ge-

Generalis licentiam obtinuisset. *Neque etiam in præsens voluntas nobis, aut ratio est*, cur ab hoc systemate recedamus. *Siquidem cum Nos in magna illa controversia super Communione illis distribuenda, qui Missæ præsentes cum sint, eandem petunt, quæ aliquot ab hinc annis in Italia exorta fuit, postquam Tridentini Concilii verba retulissemus, atque eorum Zelum commendassemus, qui inter Sanctæ Missæ celebrationem Communionem recipiunt, Ecclesiasticos quoque Pastores excitavissemus, ne Eucharistico cibo illos fraudarent, qui ejusdem famelici forent; cum, inquam, animadvertissemus ejusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis, vel loci ratione Episcoporum prudentia opportunum factu existimet, Sacram Eucharistiam etiam illi, qui Missæ interfuit minime distribui; eo magis quod juxta præsentis temporis disciplinam libera eidem facultas patet, ut eamdem alio loco, atque alio tempore recipere possit, ordinavimus, ut in hoc debita proprii Superioris præcepto obedientia præstari deberet, cui, qui morem gerere recusasset, nimis manifestum indicium præbuisset, quam parum animo dispositus, ac paratus esset ad Altaris Sacramentum reci-*

pien-

piendum, quemadmodum in litteris nostris, quarum initium est: Certiores effecti, *& quæ in Bullario nostro* Tom. I. n. 64. *leguntur, videre est. Atque hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæcumque in Encyclica hac Epistola nostra vobis opportunum exponere existimavimus, a quo quidem satis intelligetis, quod legendis, & considerandis Apostolicis litteris concessionum Oratorii, Decessorum Nostrorum Decretis, harum Congregationum resolutionibus, quæ a Nobis etiam in præsentia confirmata sunt, nullus amplius litibus, & controversiis locus reliquus sit.* Nemo igitur sine gravi temeritatis nota contendere amplius potest, non requiri specialem S. Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii loci licentiam, ut in privatis domorum Oratoriis, dum Missa in illis celebratur Sanctum Eucharistiæ Sacramentum a Celebrante Sacerdote adstantibus ministretur; sed ad id licite præstandum sufficere Apostolicum illud Indultum, quo Missa in privatis ipsis Oratoriis celebrari conceditur. Addo solum cum Viro Doctissimo, deque tota hac re, ad domestica scilicet Oratoria spectante, præclare merito P. Joanne Baptista Gattico, *dicta hactenus de communione dispen-*

pensanda in Oratoriis privatis valere tantummodo pro Oratoriis privatæ domus, ad quæ se extendit Episcoporum Jurisdictio. At Oratoria erecta in Religiosis domibus, & ab illorum Jurisdictione exempta, neque huic, neque aliis multis restrictionibus subjiciuntur, quibus privatæ Domus Oratoria sunt obnoxia; cum nullum incommodum prudenter timeatur futurum, si in Oratoriis Religiosorum Domorum Sacramentum Eucharistiæ Adstantibus Sacrificio distribuatur (a). Certe ut præter alios docet P. Anacletus Reinfestuel (*b*), & confirmat laudatus Cl. Auctor (*c*), in privatis Monasteriorum, & Conventuum Oratoriis, seu Capellis celebrari potest Missa a quocunque etiam extraneo Sacerdote, & quidem quovis anni die, licet sit ex solemnioribus. Plures quoque Missæ in illis celebrari possunt eodem die, tot nempe, quod Superiori placuerint, absque ulla limitatione. Demum quisquis Missam diebus festis in illis celebratam audierit, Ecclesiasticum præceptum de ea tunc audienda in Ecclesia adimplet. Observandum

(*a*) Cap. 29. n. 12.
(*b*) In III. Dec. tit. 41. n. 21.
(*c*) Loco citato.

dum tamen, Oratoria ejuſmodi, ubi per Superiorem approbata fuerint, non amplius poſse in profanos uſus converti, utpote ad Divinum tantum cultum deſtinata, *niſi aliter, qui approbaverat, faciendum eſſe judicaverit; cum ejus arbitrio*, inquit Cl. P. Gattico, *reſervetur deſtructio Oratorii, ſeu Eccleſiæ, ad cujus poteſtatem eorundem erectio in unicum Dei cultum pertinet* (*a*).

(*a*) Cap. 18. n. 5.

FINIS.



NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. F. Andrea Bonfabio Inquisitor Generale del Sant' Offizio di Brescia nel Libro intitolato: *De Oratoriis privatis Dissertatio &c. Auctore admodum R. P. Fortunato a Brixia Min. Ref.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a Giammaria Rizzardi Stampatore di Brescia che possi esser stampato; osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 25. Maggio 1756.

(*Barbon Morosini K. Proc. Rif.*
(*Alvise Mocenigo 4.° K. Proc. Rif.*

Registr. in Lib. a car. 50. al num. 499.





Giacomo Zuccato Segret.









